

BJ. 4147

16
TERUL ÎNVĂȚĂMÎNTULUI ȘI CULTURII

PROF. N. LASCU

MANUAL
DE
LIMBA LATINĂ
PENTRU ÎNVĂȚĂMÎNTUL SUPERIOR

1957

LITOGRAFIA ȘI TIPOGRAFIA ÎNVĂȚĂMÎNTULUI

589-kl.



PREFAȚĂ

Studiul limbii latine în instituțiile noastre de învățământ superior a întâmpinat pînă acum serioase greutăți din cauza lipsei unui manual care să pună la dispoziția studenților atât cunoștințele gramaticale, cît și textele necesare pentru aplicații și traduceri. Îndeosebi comunicarea textelor, prin scrierea lor pe tablă, prezenta două mari neajunsuri: pe de o parte studenții le transcriau în caiete cu greșeli sau curînd după aceea nu le mai puteau descifra, iar pe de altă parte, dacă mai adăugăm și necesitatea de a dicta, din lipsă de dicționare, cuvintele necunoscute, era cheltuită jumătate din timpul prevăzut în planul de învățământ.

Scopul pe care l-am urmărit prin întocmirea manualului de față este de a elimina aceste greutăți, oferind studenților un instrument de lucru în vederea însușirii elementelor de bază ale limbii latine și a pregătirii necesare pentru a se putea orienta într-un text latin. Căci studiul acestei limbi a fost introdus în planurile de învățământ ale diferitelor facultăți, după reforma învățămîntului din 1948, tocmai pentru a se da studenților cunoștințele cu ajutorul cărora să poată înțelege termenii științifici (politici, lingvistici, filozofici, juridici, medicali) și să poată citi și analiza izvoarele istorice scrise în limba latină. De aceea, la întocmirea manualului, am avut în vedere necesitățile tuturor instituțiilor de învățământ superior.

Manualul constă din patru părți: I. Aplicații gramaticale; II. Texte alese; III. Gramatică; IV. Vocabular latin-romîn.

Spre deosebire de manualele obișnuite pentru începători, în care regulile gramaticale sînt prezentate paralel cu textul și vocabularul este dat după fiecare lecție, am tratat diferitele părți separat. Am adoptat acest procedeu deoarece am avut în vedere faptul că mă adresez unor adulți a căror muncă independentă trebuie stimulată: la baza întregii lor activități profesionale trebuie să fie studiul individual.

Am așezat la început aplicațiile gramaticale și textele alese, deoarece ele constituie temelia procesului învățării limbii latine; cu ele se lucrează efectiv la cursuri și seminarii, în timp ce gramatica este studiată mai mult individual, acasă, în legătură cu pregătirea textelor. În diferitele faze ale acestui proces complex studentul își însușește mereu noi elemente de gramatică, repetînd și aprofundînd în același timp și materialul învățat. El se va deprinde treptat să analizeze singur un text, va învăța un anumit număr de cuvinte și locuțiuni proprii limbii latine, ajungînd cu timpul să se orienteze, cu ajutorul vocabularului, și în celelalte texte.

Aplicațiile gramaticale sînt toate autentice, adică le-am cules din autori antici. Am socotit că este mai util așa, chiar dacă se sporește numărul cuvintelor necunoscute, decît să se întrebuințeze exemple făcute anume pentru acest scop cu un vocabular limitat, dar de cele mai multeori scrise într-o latinească discutabilă. Am ales pe

cît a fost posibil propoziții și fraze cu înțeles deplin; așa se explică numărul mare de proverbe, maxime și locuțiuni cristalizate. Deci, ele figurează aici exclusiv pentru valoarea pe care o reprezintă din punct de vedere gramatical și nicidecum pentru conținutul lor de idei, care nu mai corespund cu concepțiile noastre.

Textele alese sînt grupate pe specialități (literare, istorice, filozofice, juridice și medicale) pentru a fi utilizate în facultățile respective. În cadrul fiecărei categorii ele se succed într-o gradăție progresivă în ceea ce privește greutatea lor. O primă parte, aproape jumătate, cuprinde texte mai ușoare, cu probleme gramaticale în general la nivelul sintaxei propoziției. În acest scop unele din ele au fost pe alocuri simplificate, făcîndu-le accesibile începătorilor, prin înlăturarea construcțiilor mai grele; dar schimbările făcute sînt neesențiale, așa că ele nu denaturează structura textului original (Acolo unde au avut loc asemenea schimbări s-a pus înaintea numelui autorului prepoziția «după»). Cred că acest procedeu, pe care mi l-au sugerat autorii sovietici de manuale de limba latină pentru învățămîntul superior, este mai indicat decît să se dea studenților începători texte care depășesc cu mult nivelul cunoștințelor lor, punîndu-i în situația de a învăța în mod inutil traducerea pe dinafară.

Pe lângă texte originale am dat și traduceri mai vechi ale unor texte grecești; în felul acesta am putut prezenta o pagină din Herodot privitoare la teritoriul țării noastre, pe filozofii materialisti greci, precum și cîteva pagini mai semnificative din opera întemeietorului medicinei științifice. De asemenea — tot după exemplul autorilor sovietici — am dat și cîteva texte latinești scrise de autori romîni la începutul sec. XVIII și XIX: Dimitrie Cantemir și Dr. Constantin Vîrnăv. Textele din domeniul farmacologiei datează aproximativ din același timp. La sugestia Catedrei de Istoria Medicinii de la Institutul Medico-Farmaceutic din Cluj am dat și textul latinesc al diplomei de doctor de onoare acordată de Universitatea din Cluj marelui savant Dr. G. Marinescu.

La alegerea textelor am fost călăuzit și de un principiu instructiv-educativ, dînd preferință paginilor ilustrative pentru geografia, dar mai ales pentru obiceiurile, felul de trai și concepțiile despre lume ale diferitelor popoare din antichitate. La sectorul istoric predomină textele referitoare la luptele duse de plebeii de la Roma pentru cucerirea egalității politice. În general m-am oprit la autorii care au scris într-o bună limbă latină, chiar dacă nu toți aparțin așa zisei perioade clasice. Textele în versuri nu e nevoie să fie studiate și din punct de vedere prozodic și metric, ci numai pentru limba și conținutul lor.

Bineînțeles, cadrele didactice vor folosi aceste texte în limitele economiei de ore prevăzute în planul de învățămînt, avînd deplina libertate de a alege din ele după nevoile, posibilitățile și chiar după preferințele lor. Nu am dat explicații în legătură cu unele probleme ridicate de texte, pe de o parte pentru a nu încărca prea mult manualul, iar pe de alta pentru că am considerat că este mai folositor pentru studenți să facă ei acest lucru, singuri sau ajutați de cadrele didactice.

Gramatica se adresează tot unor începători. În acest scop m-am limitat pe cît a fost posibil numai la faptele esențiale; îndeosebi am făcut acest lucru la fonetică și morfologie. Problemele pe care nu le-am considerat indispensabile au fost trecute la rubricile «particularități», «observații» sau nu au fost tratate de loc. Așa se explică lipsa capitolelor privitoare la formarea cuvintelor, particularități ale folosirii părților vorbirii, atracția modală, etc.

Gramatica este tratată în mod sistematic, independent de texte. Dar aceasta nu împiedică folosirea de către cadrele didactice a unei metode combinate în cursul predării, adică tratarea declinării paralel cu conjugarea, precum și a construcțiilor sintactice întîlnite în textele studiate. Este chiar necesară o astfel de metodă, căci

numai așa, în locul memorizării mecanice, se va putea introduce procesul învățării conștiente.

Ținînd seamă de faptul că manualul se adresează unor începători adulți, care — după cum a dovedit-o din plin experiența ultimilor ani — manifestă o pronunțată aversiune față de memorizarea mecanică a formelor gramaticale, căutînd să înțeleagă structura lor, în tratarea morfologiei am dat și elemente de gramatică istorică absolut indispensabile pentru atingerea acestui scop. De asemenea, pentru ca studenții, pe baza cunoștințelor de sintaxă a limbii romîne, să-și poată da seama de raporturile dintre cuvinte în propoziție și dintre propoziții în frază, am tradus exemplele latinești, care sînt, ca și aplicațiile gramaticale de la început, toate culese din autorii antici. În același scop am făcut numeroase referiri la limba romînă, subliniind mai ales deosebirile.

În linii generale am avut în vedere ca studenții să aibă ca elemente aperceptive cunoștințele lor din domeniul gramaticii limbii romîne. De aceea terminologia gramaticală și bună parte din definiții au fost împrumutate din cele două volume de «Gramatica limbii romîne» publicate recent de Academia R.P.R.

Vocabularul de la sfîrșitul manualului cuprinde toate cuvintele latinești folosite în diferitele lui părți. Avînd caracterul acesta limitat la anumite texte, am dat numai sensurile pe care le au cuvintele aici; uneori am indicat însă și sensurile principale. În vocabular este indicată cantitatea penultimei silabe, pentru ca studenții să se deprindă de la început cu accentuarea justă a cuvintelor.

1 iunie 1956

N. LASCU

PARTEA I-a

APLICAȚII GRAMATICALE

APLICAȚII LA MORFOLOGIE

Declinarea I-a

Historia est vita memoriae, magistra vitae. Via Appia est regina viarum. Sententiam Scaevola probamus. Agricola villam possidet. Aeneas Anchisen ex incensa Troia portavit. Aurora musis amica est. Musae erant deae poetarum. Incolae multarum insularum nautae erant. Scythes sagittas amat. Divitiarum et formae gloria fluxa est. Verae amicitiae sempiternae sunt. Honesta vitae beata vita. Varia pugnae fortuna est. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum.

Declinarea a II-a

Saepe discipuli magistros doctrina superant. Mollit viros otium. Ferrum ferro acuitur. Homerus saeculis multis ante Hesiodum fuit. Inter dominum et servum nulla amicitia est. Iucunda memoria est praeteritorum malorum. Tota Hispania ardet bello. Longa Romanorum cum Germanis bella fuerunt. Dis superis albae hostiae immolabantur, inferis nigrae. Aliena vita in oculis habemus, a tergo nostra sunt. In oculis animus habitat. Venti nubila portant. Apud Philippos in Macedonia Antonius Cassii copias fugavit. Furius Camillus Veios, oppidum Etruscorum, expugnavit.

Declinarea a III-a

Homo locum ornat, non hominem locus. Timor non est diuturnus magister officii. Apud Romanos pater familias potestatem vitae necisque habuit. In Britannia caelum crebris imbribus ac nebulis foedum est. Gaius Fabricius apud regem Pyrrhum legatus fuit. Amicus Plato, sed magis amica veritas. Multi sunt veritatis cultores, fraudis inimici. Animi morbi sunt cupiditates immensae divitiarum, gloriae, voluptatum, dominationis. Cibi condimentum est fames, potionis sitis. Scythis plaustra sedes sunt. In seminibus est causa arborum et stirpium. Pompeius imperii Romani decus ac lumen fuit. Propter frigora frumenta in agris matura non erant. Sunt et belli, sicut pacis iura. Moderati senes

tolerabilem agunt senectutem. Vana sine viribus ira est. Et longum est iter et non tutum. Ius est ars boni et aequi. Finis coronat opus. Repetitio est mater studiorum. Plebs in discordiam cum patribus venit et secedit in Sacrum montem.

Declinare a IV-a

Herculis impetus adversus hostes non igni nec ventis nec mari, sed fulmini similis fuit. Eventus stultorum magister est. Honorum populi finis est consilatus. Vitae brevis est cursus, gloriae sempiternus. Sententiae nostrae magnum in senatu pondus habent. Ut magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus. Semper incerti exitus proeliorum sunt. Ubi sunt superbae Carthaginis tot exercitus; ubi tantus equitatus; ubi immenso Africae spatio non contenti spiritus? Manus manum lavat. Defendunt cornua cervos. Metu non peccant multi. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus. Sol astrorum tenet principatum. Parva necat morsu spatiosum vipera taurum. Passibus ambiguus Fortuna volubilis errat. Neque iussu neque voluntate P. Scipionis tot scelera tam nefanda admissa sunt.

Declinare a V-a

Nulla res tam necessaria est omni generi hominum quam medicina. Quasi claudus sutor, domi sedet totos dies. Inter spem et desperationem haesitat. Planities sub radicibus montium est, fertilis terra multisque vicis atque urbibus frequens. Semper fraudi speciem iuris imponitis.

Luna lucet tanquam meridie. Amicus certus in re incerta cernitur. Imperatorum res adversae auctoritatem minuunt. Secundae res negligentiam creant. Omnium rerum principia parva sunt. Galli spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt. Rempublicam vos vestris humeris sustinetis. Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Diei noctisque vicissitudo conservat animantes. Omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Urget diem nox et dies noctem. Strepitu armorum et clamore Germani saepe acies Romanorum perturbaverunt.

Adjectivul

Pauci sunt acri memoria. Nihil tam volucre est quam maledictum. Galli ad campestris munitiones accedunt. Non omnis error stultitia est. Dulcis etiam nomen est pacis. Quid tamulare quam libertas? Nullum corpus immortale est. Vita brevis est, ars longa. Omnibus dis deabusque supplicatum est. Apud Herodotum, patrem historiae, sunt innumerabiles fabulae. Terra communis mater est omnium mortalium. Labor omnia vincit. Divitiae apud sapientem virum

in servitute sunt, apud stultum in imperio. Nautae audaces per omne mare currunt. Non semper temeritas est felix.

Peloponnesus est paeninsula nulli bello apertior neque opportunior quam navali. Homini homine nihil pulchrius. Lux est sonitu velocior. Facta sunt verbis difficiliora. Officia alia sunt iuvenum, alia seniorum. Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria. Dentium, oculorum, aurium dolor acutissimus est. Antiquissimis temporibus apud nostros historia nihil erat aliud nisi annalium confectio. Saluberrimum tempus ver est; periculosior aestas; autumnus periculosissimus. Tiberius Sempronius Gracchus fuit acerrimus iuvenum. Proletarii erant pauperrimi homines in plebe Romana. Quod est facillimum facis. Nulla urbs in Asia magnificentior fuit Babylone.

Ennius fuit maior natu quam Plautus et Naevius. Qui multum habet, plus cupit. Plura faciunt homines e consuetudine quam e ratione. Usus magister est optimus. Maximum animal terrestre est elephas. Leo quoque minimarum avium pabulum fuit. Maximum bonum est amicitia: plurimae enim delectationes sunt in amicitia.

Postiores cogitationes plerumque sapientiores sunt prioribus. Honesta mors turpi vita potior. Paucorum dominatio regis libidini propior est. Crocodilis superior pars corporis dura et impenetrabilis est, at inferior mollis et tenera. Extremus anni mensis olim Februarius erat. Acerrima proximorum odia (sunt). Etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus saepe admoventur. Princeps in proelium ibat Hannibal, ultimus excedebat.

Pronumele

Proximus sum egomet mihi. Nunc me iuva, mi Attice, consilio. Tu quoque Brute, mi fili? Omnia mecum porto mea. Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia. Nemo nostrum non peccat. Patria communis est parens omnium nostrum. Nobiscum versari iam diutius non potes. De malis nostris tu prius audis quam ego. De vobis ac de vestris liberis cogitate. Orgetorix ipse sibi mortem conscivit. Magnum est imperium sui.

Pomponium Atticum sic amo ut alterum fratrem. Illi pro ultione, nos pro vita pugnamus. Peior est periculo timor ipse periculi. Ut hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia. Mihi me carior ipse est. Aegyptii colunt effigies multorum animalium atque ipsa magis animalia. Se ipsos omnes natura diligunt.

Libenter homines id, quod cupiunt, credunt. Ad eam rem tempus non erat. Ver procellosum eo anno fuit. Condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi. De amicitia omnes idem sentiunt. Cur res tam dissimiles eodem nomine appellas? Leges cum omnibus semper una atque eadem voce loquuntur. Non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt.

Hoc oppidum Ephesus est. Multae sunt domus in hac urbe. Huius belli semen tu, Antoni, fuisti! Hi mores maiorum laudant. Hae mihi patent semper fores. Sidera haec te meque vident. Pater te amat plus quam hosce oculos. Ad has litteras statim mihi, rescribe. Haec cum illi dico, tibi dico. In his locis maturae sunt hiemes.

Vita ipsa, qua fruimur, brevis est. Est bos cervi figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu exsistit, excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus. Magna sunt ea quae dico, mihi crede. Pythagoras fuit in Italia iisdem temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit.

Hostis est quisquis mihi non monstrat hostem. Quidquid discis tibi discis. Quis me est divitior? Quid est somnus, nisi gelidae mortis imago? Quocum loquitur filius? Cuius hic vocem audio?

Cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? Vultus totus sermo quidam tacitus mentis est. Homo sapiens atque alta et divina quadam mente praeditus multa videt. Sunt quaedam regiones, in quibus vini penuria est. Aestate quaedam flumina augentur, ut Nilus. Quisquis pugnat pro salute communi, pro suis commodis pugnat. Suae quisque fortunae faber est.

Cuivis dolori remedium est patientia. Quaelibet vulpes caudam suam laudat. Neque domi, neque in urbe invenio quemquam. Non est ullum certius amicitiae vinculum quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Quid est sanctius quam domus uniuscuiusque civium? Omnium societatum nulla est carior quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Natura aliud alii iter ostendit. Sibi parat malum qui alteri parat. Nulli est homini perpetuum bonum. In poetis non Homero soli locus est. Populi Romani totiusque Italiae mira consensus est.

Qualis homo ipse est, talis eius est oratio. Tantum scimus, quantum memoria tenemus. Quot servi, tot hostes. Tantam hostium multitudinem exercitus noster trucidavit, quantum fuit eius diei spatium.

Numeralul

Duae res sunt quae homines ad maleficio impellunt: luxuria et avaritia. Tribus rebus animantium vita tenetur: cibo, potione, spiritu. Ver, aestas, autumnus, hiems sunt quattuor anni tempora. Duodequadraginta annos Dionysius tyrannus fuit opulentissimae civitatis. Thrasybulus Athenas a triginta tyrannis liberavit. Massinissa, Numidarum rex, sexaginta regnavit annos. Tiberius Gracchus Celtiberos centum quinquaginta urbium eversione multavit. In pugna Salamina classis Graecorum trecentarum navium fuit.

Militaris aetas est post annum septimum decimum usque ad quadagesimum sextum. Horatius quinquagesimo septimo aetatis suae anno Romae moritur. Ex eo libro millesimam partem vix intelligo. Romani quotannis binos consules creabant. Dux peditibus centenos vicenos quinos asses donavit, centurionibus ducenos quinquagenos, equitibus quingenos.

Verbul esse și compusele lui

Salus reipublicae summa lex magistratuum esto. Populi Romani honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi. Tullus Hostilius non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam quam Romulus fuit. Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Hic locus ab hoste circiter passus sescentos aberat. Quod facinus a manibus unquam tuis afuit? Semper magnae fortunae comes adest adlatio. Thebanorum genti plus inest virium quam ingenii. Aristides interfuit pugnae navali apud Salamina. Vir bonus est is qui prodest quibus potest, nocet nemini. Nec vero unquam bellorum semen et causa deerit. Praeterita mutare non possumus. Non omnes casus providere legum latores potuerunt. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Dolorem si non potuero frangere, occultabo.

Conjugarea I-a

Legatus, qui Rhodiorum causam in senatu magna cum admiratione omnium oraverat, in limine curiae subito exspiravit. Si te hac culpa non commaculasses, nunquam ego te accusassem. Tua de me opinio est talis, qualem speraveram atque optaram. Macedonum regnum a summo culmine fortunae ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit. Patavini pecunia, militibus et armis nostros duces adiuverunt. Domuisti gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles. Cupido imperandi saepe cognatos vicinosque populos ad arma stimulavit. Si omnes homines virtutem non modo laudarent, sed etiam amarent, nemo praecepta philosophorum desideraret. Dionem iidem, qui eum tyrannum vocaverant, post mortem liberatorem patriae praedicabant. Nunc, milites, curate corpora cibo somnoque: cras pugnabimus. Incredibilis est canis sagacitas ad investigandum. Astrologi motus errantium stellarum notaverunt. Adventantem hostem vestra virtute, milites, propulsate.

Conjugarea a II-a

Publius Scipio duas urbes imperio Romano infestissimas, Carthaginem Numantiamque, delevit. Quod genus belli est in quo Pompeius se non exercuerit? Cum Mummius delevisset Corinthum, senatus Romanus totum Corinthiorum agrum publicavit. Si tacuisses, philosophus mansisses. Bellum Samnitibus et patres censuere et populus iussit. Catilinae ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae placuerunt et in iis rebus iuventutem suam exercuit. Marcus Antonius gustarat civilem sanguinem, vel potius exsorbuerat. Censores populi familias pecuniasque censeo. Tenebat Appius Claudius non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos. Nullus locus fugae patuit. Nemo me obiurgabit si consuetudinem meam, quam semper in republica habui, tenuero. Mulieres orbitatem suam miserabiliter deflentes plangore et lamentatione forum compleverunt. Silent leges inter arma. Lex est recta ratio imperandi atque prohibendi.

Conjugarea a III-a

Hippias, Pisistrati filius, in Marathonica pugna cecidit. Milites nostri hostes ex silvis expulerunt. Eorum alter fefellit neminem, alter multos fefellit. Cato in Sabinis heredium habebat, quod ei pater reliquerat. Pompeius, cum Hispanos vicisset, tropaea in Pyrenaeis iugis constituit. Proelium nox diremit. Adversae res nunquam fregerunt aut minuerunt animi magnitudinem. Censores senatum legunt. Hostes, quos ad deditionem subegeramus, in Africa perfidiose rebellaverunt. Non modo pecuniam, sed etiam vitam pro patria libenter profundite. Claudius Marcellus Hannibalis exercitum fudit et vicit. Quemcumque casum fortuna tribuerit, tolerato.

Oculis magis quam auribus crediderunt. Hostes ex utraque parte eius vallis subito se ostenderunt. Amicitiam natura ipsa peperit. Nostri celeriter arma ceperunt hostesque in silvas reppulerunt et paucos de suis deperdiderunt. Ad senem senex de senectute scripsi. Duc me ad eum, obsecro. Sermoni iam finem fac tuo. Nulli ad aliena respicienti sua placent. Semper appetentes gloriae, praeter ceteras gentes, atque avidi laudis fuistis. Nascentes morimur. Defendi rempublicam adulescens, non deseram senex; contempsit Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Nervii legatos ad Caesarem miserunt de pace seque ei dederunt. Haec ego meis oculis aspexi. Impie egit Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis. Aegyptii et Babylonii omnem curam in siderum cognitione posuerunt. Ille permagnam pecuniam poposcit.

Conjugarea a IV-a

Cato vitam voluntaria morte finivit. Timoleon arcem Syracusis diruit, quam munierat Dionysius tyrannus. Helvetii in Haeduorum fines pervenerant. Romani Vestalem, quae neglegenter ignem Vestae custodisset, severe puniebant. Magistratus fidem legum custodiunt. Catilina multos adolescentes corruptelarum illecebris irretierat. Dubitando ad veritatem pervenimus. Quintus Scaevola, senex debilis, primus veniebat in curiam. Hercules servavit Omphalae. Loca amoena facile in otio feroces militum animos molliverant. Ubi aliquid audiero, scribam ad te. Epaminondas studiosus erat audiendi. Poetae hominum vitam superstitione omni refererunt. Effusa flamma uno repente incendio omnia hausit. Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Caesar suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat.

Diateza pasivă

Vir bonus ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur. Ante portas est bellum; si inde non pellitur, iam intra moenia erit et arcem et Capitolium scandet. Dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur. Cicero et erat et habebatur summus orator. Tum fumi

incendiorum procul videbantur. Pecora et iumenta siti consumebantur. Iam fragor tectorum quae diruebantur in ultimis urbis partibus audiebatur. Omnia sunt subito mutata. Fortasse tu huc vocatus es ad prandium? Scythica gens antiquissima semper habita est. Terra vestita est floribus, herbis, arboribus, frugibus. Lenita paulum vis venti est. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles. Captivi Romam missi atque ibi in carcere inclusi sunt. Petentibus Carthaginensibus pax data est. Propius inopiam erant obsidentes quam obsessi. Victi Persae in naves confugerunt, ex quibus multae submersae, multae captae sunt. Antigonos in proelio occisus est. Philosophiae vituperatoribus satis responsum est eo libro quo a nobis philosophia defensa et collaudata est. Plures fame quam ferro absumpti sunt. Hispania, inter Africam et Galliam posita, Oceani freto et Pyrenaeis montibus clauditur.

Verbe deponente și semideponente

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? De me semper populus Romanus, semper omnes gentes loquuntur. Potiemur pulcherrima opulentissimaque urbe, portu egregio. Ego Clodium arbitrabar perniciosum civem. Prope quotidie cum omni equitatu Indutimarus sub castris Romanorum vagabatur. Scythae lacte et melle plerumque vescebantur. Ephesi triduum commoratus sum. Amici quod polliciti sunt dabunt. Galli transalpini, qui in Italiam transmigrare conati erant, a Romanis propulsati sunt. Alexander percussos hostes fudit, fugientes persecutus est. Illi palam de eorum iniuriis sunt questi. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Noster exercitus proeliis usus est secundis. Hostes impeditos nostri in flumine aggressi magnum eorum numerum occiderunt. Scipio cum magna caede hostium urbem est ingressus. Quam multa passus est Ulixes in illo errore diurno! Ave, Caesar imperator, morituri te salutant! Quod ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Subito tempestates coortae sunt maximae. Eius sententiae libenter assensus sum. Caesus est virgis Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus. Frustra sum igitur gavisus miser. Massilienses, et celeritate navium et scientia gubernatorum confisi, circumvenire nostros contendebant.

Conjugarea perifrastică

Pro patria quis bonus dubitat mortem oppetere si ei est profuturus? In corporibus aegris nihil quod nociturum est medici relinquunt. Apes, cum iam evoluturae sunt, consonant vehementer. Iniuriam qui facturus est, iam facit. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha gessit.

Aestimanda sunt ipsa quae aggredimur et vires nostrae cum rebus quas temptaturi sumus comparandae. Commune periculum concordia propulsandum

st. Tacitae magis et occultae inimicitiae timendae sunt quam indictae et apertae. Audendum atque agendum, non consultandum, in tanto malo est. Audienda (est) et altera pars. Certandum est: nulli venient sine Marte triumphi. Orandum est ut sit mens sana in corpore sano. Dicendus est non omnis error stultitia. Non optanda est rerum futurarum scientia.

Verbe neregulate

Nemo alteri imperium volens concedit. Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Iam faciam quodcumque voles. Multa videbis fortasse quae nolis. Ea nolui scribere, quae nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent. Sulla primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Huc pacem fertis, an arma? Diutius nostrorum impetum hostes ferre non potuerunt ac terga verterunt.

Somnus aufert sensus actionemque tollit omnem. Mustela catulos suos cotidie transfert mutatque sedem. Aurum cras ad te referam tuum. Themistocles ingratae patriae iniuriam non tulit. Omnia tibi fortuna abstulit, sed spem reliquit. Aqua, quae flumine Nilo fertur, est limosa et turbida. Argenti pondo milia octoginta tria ante currum lata sunt. Ibam forte via Sacra. Nunc hinc domum ibo. It, redit et narrat. Omnia mutantur, nihil interit. Abeunt hirundines hibernis mensibus. Exeundi Roma potestas nobis non fuit. Nox abiit, nec tamen orta dies. Duo consules eius anni alter morbo, alter ferro periit. Germani magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt. Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Fiunt saepe cum terrae motu et inundationes maris. Nihil fieri sine causa potest. Ex nihilo nihil fit. Per exploratores Caesar certior factus est. Omnia litora a Caesare tenebantur, neque lignandi atque aquandi potestas fiebat. Dimidium facti qui coepit habet. Memini etiam quae nolo; oblivisci non possum quae volo. Tu nostri memento, nos nunquam obliviscemur tui. Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Dictator omnes quos oderat morte multabat. Vis bonus esse? velis tantum, fiesque volendo.

Adverbul

Aurea sunt vere nunc saecula. Aequè peccat qui parentem et qui servum iniuria verberat. Festina lente. Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter. Corpus, etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est. Cum corpore una crescit pariterque senescit mens. Quidquid agis, prudenter agas et respice finem.

Homines amplius oculis quam auribus credunt. Nihil est tam volucre quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil latius dissipatur. Aliena melius vident homines et diiudicant quam sua. In omnibus fere minus valent praecepta quam experimenta. Potis sero quam nunquam.

Omne bellum sumitur facile, aegerrime desinit. Pares cum paribus facillime congregantur. Verae amicitiae difficillime reperiuntur. Galli deorum maxime Mercurium colunt. Frons, oculi, vultus saepe mentiuntur, oratio vero saepissime. Rectissime indicas.

Prepoziția

X Caelum non animum mutant qui trans mare currunt. Ea pars Galliae, quae cis Alpes erat, a Romanis Gallia Cisalpina appellabatur. Saguntum civitas longe opulentissima ultra Hiberum fuit. Hostes intra muros se tenebant. Graeci acerrime pro libertate dimicaverunt. Verres pessos homines circa se habebat. Romani eam partem Britanniae, quae septentrionem versus sita est, nunquam imperio tenuerunt. Penes ephoros summum erat Lacedaemoniorum imperium. Plebs Romana, cum a patribus secessisset, prope Anienem consedit ad quartum lapidem Viae Salariae. Viriathus per quattuordecim annos omnia citra ultraque Hiberum et Tagum igni ferroque populatus est. Miltiades eas maris Aegaei insulas, quae Cyclades appellantur, sub Atheniensium potestatem redegit. Post terga pugnantium subito, praeter opinionem omnium, magnus clamor ortus est. Prae strepitu militum oratio imperatoris vix audita est. Apud druidas magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit magnoque hi sunt apud eos honore.

APLICAȚII LA SINTAXĂ

Sintaxa acordului

Prodigia imminentium malorum nuntia sunt. Volsinii, oppidum Tuscorum opulentissimum, totum concrematum est fulmine. Errastis vehementer et tu et nonnulli collegae tui. Nec duo Gracchi nec L. Sulla agrum Campanum attingere ausus est. Iustitia, abstinencia, clementia Ciceronis opiniones omnium superavit.

Decem pueri, decem virgines ad id sacrificium adhibiti sunt. Capitolium atque arx moeniaque et portae plena armatorum erant. Indus est omnium fluminum maximus. Philae insula est aspera et undique praerupta. Gallorum gens truci cantu clamoribusque variis horrendo cuncta compleverant sono. Scipio terrestrem navalemque exercitum instructos legatis ostendit. Cottam cum Sabino legatos amisimus. Philippus cum robore exercitus Macedonici, quam phalangem vocabant, ad hostem vadit. Decem tabularum leges perlatae sunt, qui nunc quoque fons omnis publici privatique est iuris.

Sintaxa genitivului

Veritatis simplex oratio est. Maximus in Themistocle fuit amor patriae. Populi grati est praemiis afficere bene meritos de republica cives. Multum adiuvit Croesum recordatio Solonis. Aristoteles doctissimus fuit omnium philosophorum. C. Duillius primus omnium Romanorum ducum navalis victoria duxit triumphum. Quid est sanctius quam domus uniuscuiusque civium? In Britannia hominum est infinita multitudo, pecorum magnus numerus. Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter patet. Caesar rei militaris peritissimus fuit. Memento semper gloriae maiorum eosque imitandos propone. Alcibiades religionis violatae accusatus et absens capitis damnatus est. Mea mihi conscientia pluris est quam omnium sermo. Utriusque nostrum magni interest ut te videam. Nostra interest scire, quae eventura sint. Auxerunt Romae tumultum litterae ex Gallia allatae. Domi militiaeque boni mores colebantur.

Sintaxa dativului

Germani agriculturae non student. Ex multis herbis remedia parantur morbis et vulneribus. Carthaginienses Hannibali Hasdrubalem auxilio miserunt. Omnibus bonis salus patriae curae est. Iuventus pleraque Catilinae inceptis favebat. Miltiades ceteris ducibus persuasit ut proelio dimicarent. Imperare sibi maximum imperium est. Qui malis parcat bonis nocet. Consules eas leges in publico proposuerunt, quibus nomen est duodecim tabularum. Leges omnium salutem singulorum saluti anteposunt. Liberalis est qui sibi detrahit quod alteri donat. Asia ubertate agrorum facile omnibus terris antecellit. Roscius praedia coluit aliis, non sibi. Mihi consilium captum iam diu est. In universum aestimanti apud Germanos plus penes pedites roboris est. Caesar quinque cohortes praesidio castris reliquit.

Sintaxa acuzativului

Obiurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiscunt quam eos qui eam timent. Magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum. Magnitudinem animi tui semper admiratus sum. Hostes res frumentaria deficere coepit. Voluntatis me meae nunquam paenitebit. Illud unum vos oro, amici, ne in periculo patriam deseratis. Murmur ab tribunali totam contionem pervasit. Populum Romanum disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deosco. Catilina iuventutem mala facinora edocebat. Hannibal nonaginta milia peditum, duodecim milia equitum Hiberum traduxit. Magnam partem ex iambis nostra constat oratio. Milites aggerem latum pedes trecentos, altum pedes octoginta exstruxerunt. Caesar hostes sequitur et milia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Lacedaemonii legatos Athenas miserunt. Domum redibimus et totam hiemem domi manebimus. Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos. Iugurtha Thalam pervenit, in oppidum magnum atque opulentum.

Sintaxa ablativului

Pulsus regno Ptolemaeus Romam venit. Hostes magno cum strepitu ac tumultu castris egressi sunt. Graecorum oratorum praestantissimi sunt ii qui fuerunt Athenis. Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. Calidus semper aer est in Aegypto. Tempestas sedatur, Dolabella Delo proficiscitur. Milites incolumes eodem ponte in castra revertuntur. Philippus terra Macedoniam petit. Neocles uxorem Halicarnasiam duxit, ex qua natus est Themistocles. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Optimus quisque reipublicae cura maerebat. Non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur. Insidiator superatus est: vi victa vis vel potius oppressa virtute audacia est. Omnes colles et loca superiora ab exercitu tenebantur.

Caesar prima luce omnem equitatum praemisit. Solis occasu suas copias Ariovistus in castra reduxit. Britanni frumenta non serunt, sed carne et lacte vivunt. Vita ipsa qua fruimur brevis est. Labienus cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit. Armati per urbem silentio in Aventinum perveniunt. Agesilaus nomine, non potestate fuit rex. Terra feta frugibus et vario leguminum genere cum maxima largitate fundit ea. Hibernia dimidio minor existimatur quam Britannia. Neminem Lycurgo maiorem Lacedaemon genuit. Patriam, qua nihil potest esse iucundius, nobis reddidistis. Magno ubique pretio virtus aestimatur. In Sicilia est fons Arethusa incredibili magnitudine. Medicina fructuosior ars nulla est.

Sintaxa modurilor personale in propozițiile principale

Num eloquentia Platonem superare possumus? Albucius nonne animo aequissimo Athenis exsul philosophabatur? Ecquid animadvertis horum silentium? Cum hominene crudeli nobis res est an cum fera atque immani belua? Utrum hoc parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam? An medicina ars non putanda est? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam, sed non necesse est. Volumnia id ipsum quod fecit potuit diligentius facere et cautius. Triennio tardius quam debuerat triumphavit Lucullus. Aut non suscipienda fuit ista causa aut defendenda usque ad extremum. Beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus. Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas cepit? Utinam modo conata efficere possim! Sapientia mea utinam digna esset opinione vestra! Utinam minus vitae cupidi fuissetus! Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Pro patria quis bonus dubitet mortem oppetere? Ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris.

Propozițiile subiective

Percommode factum est quod de eis rebus quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, disputatum est. Opportune accidit quod postridie eius diei Germani in castra venerunt. Accedebat quod Galli suos ab se liberos abstractos obsidum nomine dolebant. Cuspido quod operam dedisti, mihi gratum est. Officium medici est, ut tuto, ut celeriter, ut iucunde sanet. Hoc uno praestamus feris quod inter nos colloquimur. Hoc inter me et illos interest quod ego condicionibus, illi armis disceptari maluerunt. Accidit casu ut legati Prusiae Romae apud T. Quintium Flaminium cenarent. Soli contingit sapienti ut nihil faciat invitus. Restat ut motus astrorum sit voluntarius. Relinquebatur Caesari nihil nisi uti equitatu agmen adversariorum male haberet. Si haec enuntiatio vera non est, sequitur ut falsa sit. Di utrum sint necne sint quaeritur. Ad summam totius causae pertinet caute an contra demonstrata res sit. Postrema syllaba brevis an longa sit ne in versu quidem refert.

Propozițiile complete

Fecit humaniter Licinius quod ad me venit. Praetereo quod uxor eam sibi domum delegit. Adde quod perferri litterae nulla condicione potuerunt. Peto a te ut homines miseros et fortuna, quam vitare nemo potest, magis quam culpa calamitosos conserves incolumes. Magno opere vos et hortor et moneo ut his aliquando consulatis. Cura ut valeas et te istinc ne temere commoveas. Timebam ne evenirent ea quae acciderunt. Vereor ut satis diligenter actum in senatu sit de litteris meis. Plura ne dicam tuae me lacrimae impediunt. Id casus quidam ne facerem impedit. Adversarii restiterunt ne causam diceret ille vir summus. Nihil impedit quominus id, quod maxime placet, facere possimus. Non recusamus quin omnia patiamur. Facere non possum quin cotidie ad te mittam litteras. Quis ignorat quin tria Graecorum genera sint. Quid agatis et ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme fac sciam. Quaero ex te sisne ex pauperrimo dives factus. Dubito num idem tibi suadere, quod mihi, debeam. Deliberent bellum gerant an non. Id utrum illi sentiant ane simulent tu intelleges.

Propozițiile cauzale

Inimicos habeo cives Romanos, quod sociorum commoda ac iura defendi. Idcirco sum tardior ad scribendum, quod non invenio fidelem tabellarium. Ab Anaximandro moniti Lacedaemonii sunt ut urbem relinquerent, quod terrae motus instaret. Dumnorix omnibus precibus petere contendit ut in Gallia relinqueretur, quod insuetus navigandi mare timeret. Aggrediar alia, quoniam quiescere non possumus. Non eo dico, quo mihi veniat in dubium tua fides aut constantia. Non quia ades praesens hoc dico. Tibi ago gratias quod me omni molestia liberasti. Non sum accusandus quod doleo haec. Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, condemnatus est. Siculi statuerunt aut Verris iniurias ulcisci aut urbes ac sedes suas relinquere, quandoquidem agros iam ante istius iniuriis exagitati reliquissent. Aebutius, cum saucio brachio tenere telum non posset, pugna excessit. Non te reprehendo, quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. Vos convenit sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, praesertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur.

Propozițiile finale

Maiores nostri ab aratro adduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset. Suscipienda bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur. Hirundines nidum mollibus plumis consternunt, ne durus sit infantibus pullis. Hoc totum omitto, ne offendam tuas patientissimas aures. Germani suas copias castris eduxerunt omnemque aciem suam redis et carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur. L. Sulla, pugnax et acer et non rudis imperator,

ut aliud nihil dicam, cum pace dimisit Mithridatem. Consules, ne Sabini, neu Veiens hostis moveretur, circa portas murosque discesserant. Explicavi sententiam meam et eo quidem consilio, tuum consilium ut cognoscerem. Pompeius ignes fieri prohibuit, quo occultior esset eius adventus. Ab initio res quem ad modum gesta sit vobis exponemus, quo facilius cognoscere possitis. Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et impium. Vix in ipsis tectis et oppidis frigitur, nedum in mari et via sit facile abesse ab iniuria temporis.

Propozițiile temporale

Hasdrubal tum forte, cum haec gerebantur, apud Syphacem erat. Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. Galli ruentes in hostes, cum comminus venerant, gladiis a velitibus trucidabantur. Anni sunt octo, cum ista causa in ista meditatione versatur. Socrates, cum triginta tyranni essent, pedem porta non extulit. Dionysius tyrannus, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi ludum aperuit. Iam nona ferme diei hora erat, cum Romanus signum receptui dedit. Praeclare facis, cum puerum diligis. Domo me tenui quamdiu turbulentum tempus fuit. Non omisere pugnam Fregellani, donec consules rem sustinebant. An exspectatis dum urbem invadat Lepidus? Antequam de incommodis Siciliae dico, pauca sunt de provinciae dignitate dicenda. Segetes agricolae subigunt aratris multo antequam serant. Aristides, postquam Xerxes in Graeciam descendit, populi scito in patriam restitutus est. Verres, ut Romam venit, praetor factus est. Caesar, cum primum potuit, ad exercitum contendit.

Propozițiile consecutive

Amphiaraus sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur. Dolabella tam fuit immemor humanitatis, ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivos, sed etiam in mortuos. Dion eo rem perduxit, ut pacem Dionysius tyrannus facere vellet. Eos consules habemus, ut nullam calamitatem respublica accipere possit. Epaminondas paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil praeter gloriam ceperit. Clarior res erat, quam ut tegi ac dissimulari posset. Flavius longius iam progressus erat, quam ut regredi posset. Nihil est tam bonum, quin aliquid mali in se habeat. Nihil tam difficile est, quin investigari possit. Quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus cum maioribus suis contendat?

Propozițiile condiționale

Ante portas est bellum: si inde non pellitur, iam intra moenia erit. Ne tu iam mecum in gratiam redeas, si scias quam me pudeat nequitiae tuae. Thucydidem imitari neque possim, si velim, neque velim fortasse si possim. Tum ego

nequiquam hac dextra Capitolium arcemque servaverim si civis commilitoque meus in servitutem ac vincula ducatur. Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses. Gauderem, si id mihi accidisset. Hannibal tanta paucitate militum vix castra, si oppugnarentur, tutari poterat. Si unum diem morati essetis, omnibus moriendum fuit. Si Romae Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. Si tribuni me triumphare prohiberent, testes citaturus fui rerum a me gestarum. Nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, capti et deleti eramus. Id paene fecit, nisi tua malitia fuisset. Non mirum est si hoc vobis ridiculum videtur. Temptata est res, si primo impetu capi Ardea posset. Tribunatus P. Sestii nihil aliud nisi meum nomen causamque sustinuit. Si fuerit occasio, manu nos defendemus, si minus, locis. Gallia omnes aequo animo patitur iniurias, dummodo repellat periculum servitutis.

Propozițiile concessive

Tyrannus, quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate et feritate vastissimas vincit beluas. L. Cassius, tametsi erat veritatis amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implacatus ad severitatem videbatur. Quinctius et M. Furius, cum essent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt damnatique sunt. Regulus, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere. Illa, quamvis ridicula essent, mihi tamen risum non moverunt. Nimis abes diu, praesertim cum sis in propinquis locis. Ipse Cicero, cum tenuissima valetudine esset, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat. Naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit. Bruttius ager, ut omnis coleretur, exiguus tamen tanto exercitui erat. Licet vastum traieceris mare, sequentur te vitia.

Propozițiile relative

Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Quod cuique obtigit, id quisque teneatur. Quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps poenas persolvit. Istum, ubi tu es natus, amabo locum. Homini natura rationem dedit, qua regentur animi impetus. Illis temporibus ab aratro arcessebantur qui consules fierent. Ego is sum, qui nihil umquam mea potius quam meorum civium causa fecerim. Quis est qui utilia fugiat? Ego habeo senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Caesaris exercitus audaciae plus habebat, quippe qui patriae bellum intulisset. Miraretur, qui tum cerneret quantae hostium copiae essent. Xerxes praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem. Quis

est qui C. Fabricii, M. Curii non cum caritate aliqua benevola memoriam usurpet, quos numquam viderit? Refertae sunt orationes Catonis, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus.

Propozițiile comparative

Ut agricultura sanis hominibus alimenta, sic medicina aegris hominibus sanitatem promittit. Galli, velut avium examina, ad crepitum primum missilium avolare. Quanto avidius pacem petieritis, tanto bellum crudelius erit. Sabini plus cladium, quam intulerant, acceperunt. Alcibiades timebatur non minus quam diligebatur. Similis erit finis atque antea fuerat. De Africanis rebus longe alia nobis ac tu scripseras, nuntiantur. Gellius, quasi mea culpa bona perdiderit, ita est mihi inimicus. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana moenia pugnemus. Tamquam si clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos. P. Sestius me, iuxta ac si meus frater esset, sustentavit. Tamquam Veiis captis, ita pavidi Veientes ad arma currunt.

Infinitivul

De futuris rebus semper difficile est dicere. Mali etiam morbi signum est nimis celeriter emacrescere. Confidere decet, timere non decet. Secernere a corpore animum est mori discere. Verres Minervae templum spoliare conatus est. Agrum verum est habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit. Non me praeterit Gallos fama belli praestare. Multis de causis Caesar statuit sibi Rhenum esse transeundum. Thales Milesius aquam dixit esse initium rerum. Saguntini parentes suos liberos emori quam servos vivere maluerunt. Calones nostros victores flumen transisse conspexerant. Urbem Syracusas maximam esse Graecorum saepe audistis. Caesar portas claudi militesque ex oppido exire iussit. Placitum tibi esse librum meum suspicabar: tam valde placuisse, quam scribis, valde gaudeo. Thales primus defectionem solis praedixisse fertur. Non reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbitur. Consul providere omnia, laudare fortes, castigare sicubi segnior pugna esset.

Participiul

Massilienses et celeritate navium et scientia gubernatorum confisi nostros cludebant. Flos est pleni veris indicium et anni renascentis. Sapiens nocituram potentiam vitat. Iugurtha, si dediticius est, profecto iussis vestris oboediens erit. Apud Homerum Laertes agrum laetificans suis manibus reperitur. Dionysius tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat. Haec a te invitatus breviter exposui. Pueri Spartiatae non ingemescunt verberum dolore laniati. Pompeius humili atque obscuro loco natus amplissimos honores est adeptus. Perseus

unde erat profectus rediit, belli casum tentaturus. Albani, diruta Alba, Romam traducti sunt. Maiores nostri saepe mercatoribus nostris iniuriose tractatis bella gesserunt. Romani olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. Ita aequatae res sunt ad Tarentum, Romanis victoribus terra, Tarentinis mari. C. Flaminus invito senatu ad populum legem agrariam ferebat.

Gerunziul, gerundivul și supinul

Studio legendi scribendi studium incitatur. Omnino nulla causa iusta cuiquam esse potest contra patriam arma capiendi. Aetoli pacis petendae oratores ad consules miserunt. Haedui legatos ad Caesarem sui purgandi gratia mittunt. An aetas mea tunc maturior bello gerendo fuit quam nunc est? Censoribus creandis comitia edicta sunt. Caesar feriis Latinis comitiisque perficiendis XI dies tribuit. Galli victores alacritate et quasi laetitia ad canendum excitantur. Hominem ad duas res, ait Aristoteles, ad intellegendum et ad agendum, esse natum. Bocchus se ob regnum tutandum arma cepisse respondit. Ratio et oratio docendo, discendo, communicando, iudicando conciliat inter se homines. Omnis loquendi elegantia augetur legendis oratoribus et poetis. Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis. Plausus est datus senatoribus spectatum e senatu redeuntibus. Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur.

Correspondența timpurilor

Quid agas omnibus de rebus et quid acturus sis fac nos quam diligentissime certiores. Litterae tuae non solum quid Romae, sed etiam quid in republica, neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset indicabant. Nescio quo pacto ad praeciipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. Quanti conventus ad Pompeium fieri soliti sint quis ignorat? Quantae curae tibi meus honos fuerit cognovi ex meorum omnium litteris. Caesar legatis imperat uti quam plurimas possent naves aedificandas curarent. Vellem scriberes cur ita putares. Valerius Horatiusque vociferari ut de republica liceret dicere. Volui te scire quid iudicarem. Satis docuisse videor hominis natura quanto omnes anteiret animantes. Cupido incessit animos iuvenum sciscitandi ad quem eorum regnum esset venturum. Adeo excellebat Aristides abstinencia, ut unus post hominum memoriam cognomine Iustus sit appellatus. Quaero ex te cur C. Cornelium non defenderem. Erat magna suspicio Parthos, si ex Syria egredi conarentur, iter per Cappadociam esse facturos.

PARTEA a II-a

TEXTE ALESE

A. TEXTE LITERARE

Elogiul literaturii

Litterarum studia sunt omnium temporum, omnium aetatum, omnium locorum. Namque adolescentiam alunt, secundas res ornant, adversis perfugium et solacium praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Cetera rerum studia ex doctrina et praeceptis et arte constant, poeta natura ipsa valet et mentis viribus excitatur et quasi divino quodam spiritu inflatur. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis videntur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt; nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum proclamant itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt, permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

Carus fuit Africano superiori noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum is est constitutus ex marmore; cuius laudibus certe non solum ipse qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur; magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites dulcedine quadam gloriae commoti quasi participes eiusdem laudis magno illud clamore approbaverunt?

(După Cicero, *Pro Archia poeta*, 16, 18—19, 22, 24).

Cele dintîi biblioteci publice

Pisistratus tyrannus studia litterarum plurimum fovit. Primus comparavit Athenis libros disciplinarum liberalium eosque legendos publice prae-buit. Deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt. Sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, cum Atticam invasit et Athenas ipsas praeter arcem incendit, abstulit asportavitque in Persas. Eos porro libros universos multis post annis Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, Atheniensibus reddidit.

Ingens postea numerus librorum in Aegypto ab Ptolemaeis regibus vel conquisitus vel confectus est, ad milia ferme voluminum septingenta; sed ea omnia bello priore Alexandrino a militibus incensa sunt.

(După Aulus Gellius, *Noctes Atticae*, VII, 17)

Egiptul și Nilul

Aegyptus expers est imbrium, sed admodum fertilis et hominum aliorumque animalium perfecunda generatrix et nutrix. Mirae illius fertilitatis causa est Nilus. Hic maximus est amnium migrantium in mare quod Romani Nostrum appellabant. Nilus ex Africae montibus simplex saevusque descendit, deinde it per omnem Aegyptum vagus atque dispersus, septemque in ora se scindens singulis tamen grandis evolvitur. Non pererrat autem tantum eam, sed aestivo sidere exundans etiam irrigat efficacibus aquis ad generandum alendumque; nam praeter id quod scatet piscibus, quod hippopotamos crocodilosque, vastas beluas, gignit, lutulentus fluit atque in arenosum et aridum solum inducit et aquam et terram. Pinguem faecem in siccis et hiantibus locis relinquit atque ita feracem efficit omnem regionem in quam devenit. Facies locorum pulcherrima est, cum se iam in agros ingessit. Latent campi, opertae sunt valles; oppida insularum modo exstant.

(După Pomponius Mela, I, 9).

Descrierea râului Cydnus

Perpetuo iugo montis asperi ac praerupti Cilicia includitur; quod a mari adsurgens velut sinu quodam flexuque curvatum rursus altero cornu in diversum litus excurrit. Per hoc dorsum tres asperi et perangusti aditus sunt, quorum uno Cilicia intranda est. Campestris est pars maritima huius terrae planitiemque crebri rivi distinguunt, quorum inclitissimus est Cydnus.

Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis est; quippe leni tractu e fontibus labens puro solo excipitur, nec torrentes turbant incurrentes placide manantis alveum. Itaque incorruptus idemque frigidissimus et ubique similis fontibus suis in mare evadit. Multae enim arbores inumbrant amoenas ripas. Multa in ea regione monumenta carminibus vulgata vetustas exedit.

monstrantur sedes et ruinae magnarum urbium, Typhonis specus et Corycium nemus, ubi crocus gignitur. Ibidem plurima sunt loca in quibus nihil praeter famam duravit.

(După Curtius Rufus, III, 4).

Portretul lui Cato cel Bătrîn

Marcus Porcius Cato fuit singulari industria in omnibus rebus; nam fuit et agricola sollers et reipublicae peritus et iurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum. Quarum studium iam senior arripuerat; mirum tamen progressum in eis fecit. Neque de Graecis neque de Italicis rebus quidquam ei fuit incognitum. Ab adolescentia fecit orationes. Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem.

Hic vir non modo pollebat ingenio pariter ad omnia idoneo; erat quoque linguae acerbae et immodice liberae et ferrei prope corporis animique in parci-monia atque in patientia laboris. Hunc ne senectus quidem fregit, quae solvit omnia. Sextum et octogesimum annum agens ipse pro se causam oravit; nonagesimo anno unum ex suis adversariis ad populi iudicium adduxit.

(După Cornelius Nepos, *Cato*).

Studiile lui Atticus

T. Pomponius Atticus, ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente et, ut tum erant tempora, diti in primisque studioso litterarum. Hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudit. Erat autem in puero praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris atque vocis; is non solum accipiebat quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiabat. Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo aequo ferre poterant. Itaque incitabat omnes studio suo, quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero: quos consuetudine sua devinxit et nemo iis perpetuo fuit carior.

Domum habuit in colle Quirinali, ab avunculo hereditate relictam, cuius amoenitas non aedificio, sed silva constabat. Usus est familia, si utilitate iudicandum est, optima, si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi et plurimi librarii, pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, adprime boni. Eum praecipue dilexit Cicero et ne frater quidem ei Quintus carior fuit aut familiarior. Ei rei sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sedecim volumina epistularum, ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quae qui legit non multum desiderabit historiam contextam eorum temporum.

Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator: quam diligenter habuit cognitam et eam totam in eo volumine exposuit, quo magistratus ordinavit. Nulla enim lex neque pax neque bellum neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata. Fecit hoc idem in aliis libris, ex quibus clarorum virorum propagines cognoscere possumus. Quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent clarorum virorum. Attigit poetice quoque; nam virorum illustrium facta magistratusque non amplius quaternis quinque versibus descripsit. Est etiam unus liber Graece confectus de consulatu Ciceronis.

(După Cornelius Nepos, *Atticus*).

Moartea lui Cicero

M. Cicero sub adventum triumvirorum urbe cesserat; primo in Tusculanum fugerat, inde transversis itineribus in Formianum, ut a Caieta navem conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum postquam venti adversi rettulerunt et ipse iactationem navis pati non potuit, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit regressusque ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari abest: «moriar, inquit, in patria saepe servata».

Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque, scripsisse in Antonium exprobrantes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla umquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidata membra civis poterant.

Vixit tres et sexaginta annos; ingenium et operibus et praemiis operum felix. Ipse fortunae diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil ut viro dignum erat tulit praeter mortem, quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nihil crudelius passurus erat quam quod, eiusdem fortunae compos, in eo fecisset.

(După Titus Livius, *Ab urbe condita*, CXX).

Elogiul lui Cicero

M. Tullius, postquam se totum ad imitationem Graecorum contulit, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit studio consecutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim «pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat», dono quodam Providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur.

Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta umquam iucunditas adfuit? Ipsa illa quae extorquet impetrare eum credis et, quamquam transversum vi sua iudicem fert, tamen ille non rapi videtur, sed sequi. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur.

(După Quintilianus, *Institutio oratoria*, X, 108—113).

Portretul lui Vergiliu

Corpore et statura fuit grandi, aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia: nam plerumque ab stomacho et faucibus ac dolore capitis laborabat; sanguinem etiam saepius eiecit; cibi vinique minimi. Et ore et animo probus fuit: Neapoli Parthenias vulgo appellabatur, ac Romae, quo rarissime commebat, in publico sectantes demonstrantesque subterfugere solebat in proximum tectum. Possedit prope centies sestertium ex liberalitatibus amicorum; habuitque domum Romae in Esquilis, iuxta hortos Maecenatis, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum utebatur. Quaecumque ab Augusto peteret, repulsam numquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos iam grandis amisit: ex quibus patrem oculis captum et duo fratres germanos, Silonem impuberem, Flaccum iam adultum, cuius exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cetera studia medicinae quoque ac mathematicae operam dedit. Egit et unam causam omnino, nec amplius quam semel. Sermone tardissimus ac paene indocto similis fuit, ut Melissus tradit.

(După Donatus, *Vita Vergili*, II)

Izvoarele Clitumnului

Vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum (et puto nondum; alioqui narrasses mihi), vide, quem ego (paenitet tarditatis) proxime vidi.

Modicus collis adsurgit antiqua cupresso nemorosus et opacus. Hunc subter exit fons et exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque quem facit gurgitem lato gremio patescit purus et vitreus, ut numerare iactas stipes et relucentes calculos possis. Inde non loci devexitate, sed ipsa sui copia et quasi pondere impellitur. Fons adhuc et iam amplissimum flumen atque etiam navium patiens, quas obvias quoque et contrario nisu in diversa tendentes transmittit et perfert.

Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas perspicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. Rigor aquae certaverit nivibus, nec color cedit. Adiacet templum priscum et religiosum; stat Clitumnus ipse amictus ornatusque praetexta; praesens numen etiam fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa

sacella complura totidemque di. Sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam etiam fontes, nam praeter illum quasi parentem ceterorum sunt minores capite discreti; sed fluminis miscentur, quod ponte transmittitur.

Is terminus sacri profanique. In superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum. Balineum Hispellates, quibus illum locum divus Augustus dono dedit, publice praebent, praebent et hospitium. Nec desunt villae, quae secutae fluminis amoenitatem margini insistent.

In summa nihil erit, ex quo non capias voluptatem. Nam studebis quoque et leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille deusque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis.

(După Plinius Minor, *Epistulae*, VIII,8).

Vechii romani n-au încurajat artele

Mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius, rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa quae natura, non litteris adsecuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?

Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat; in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poetarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit, anno ante natum Ennium (qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius). Sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti. Quamquam, ut Cato in Originibus narrat, soliti erant in epulis canere convivae ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honor tamen huic generi non fuit. Quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt, nec tamen si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt. Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloria iacentque ea semper quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocatione cantibus. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat satis excultus doctrina putabatur. In summo apud illos honore geometria fuit, itaque nihil mathematicis illustrius; at nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum. At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primum eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum.

(După Cicero, *Tusculanae disputationes*, I, 2—5).

O casă-muzeu la Messana

C. Heius est Mamertinus omnibus rebus illa in civitate ornatissimus. Huius domus est vel optima Messanae, notissima quidem certe et nostris hominibus apertissima maximeque hospitalis.

Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate in aedibus a maioribus traditum perantiquum, in quo signa pulcherrima quattuor summo artificio, summa nobilitate, quae non modo istum hominem ingeniosum et intelligentem, verum etiam quemvis nostrum quos iste idiotas appellat delectare possent, unum Cupidinis marmoreum Praxiteli (nimirum didici etiam, dum in istum inquiri, artificum nomina); idem, opinor, artifex eiusdemmodi Cupidinem fecit illum qui est Thespiis, propter quem Thespieae visuntur; nam alia visendi causa nulla est. Atque ille L. Mummius tum, cum Thespiadas quae ad aedem Felicitatis sunt ceteraque profana ex illo oppido signa tollit, hunc marmoreum Cupidinem non attigit.

Verum ut ad illud sacrarium redeam, signum erat hoc quod dico Cupidinis e marmore. Ex altera parte Hercules egregie factus ex aere. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor, et certe. Item ante hos deos erant arulae quae cuius religionem sacrarii significare possent; erant duo praeterea signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant: Canephorae ipsae vocabantur; earum artifex Polyclitus fuit. Messanae quisque nostrum haec visere solebat. Omnibus haec ad visendum patebant cotidie. Domus erat non domino magis ornamento quam civitati.

Haec omnia quae dixi signa, iudices, ab Heio e sacrario Verres abstulit; nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor; eam iste habere domi suae noluit.

(După Cicero, *De signis*, 3—5,7)

Descrierea oraşului Siracusa

Urbs Syracusae maxima est Graecarum, pulcherrima omnium. Nam et situ est cum munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari praeclaro ad aspectum, et portus habet prope in aedificatione amplexuque urbis inclusos. Qui diversos inter se aditus habent, in exitu coniunguntur et confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quae appellatur Insula, mari disiuncta, angusto ponte rursus adiungitur et continetur.

Ea urbs ex quattuor urbibus maximis constat. Quarum una est ea quam dixi, Insula, quae duobus portibus cincta in utriusque portus ostium aditumque proiecta est; in qua domus est quae Hieronis regis fuit, qua praetores uti solent. In ea sunt aedes sacrae complures, sed duae quae longe ceteris antecellunt, Dianae et altera, quae fuit ante istius adventum ornatissima, Minervae. In hac

insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium.

Altera autem est urbs Syracusis cui nomen Achradina est. In qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytanium, amplissima est curia templumque egregium Iovis Olympii ceteraque urbis partes quae una via lata perpetua multisque transversis divisae privatis aedificiis continentur. Tertia est urbs quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, in qua gymnasium amplissimum est et complures aedes sacrae coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est quae, quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur, quam ad summam theatrum maximum, praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae, signumque Apollinis, qui Temenites vocatur, pulcherrimum et maximum.

(Cicero, *De signis*, 117–119).

Statuia Diane de la Segesta

Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Aenea fugiente a Troia atque in haec loca veniente conditum est. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione cum populo Romano coniuncti sunt. Hoc quondam oppidum a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est omniaque, quae ornamento urbi erant, Carthaginem sunt ex illo loco deportata.

Fuit apud Segestanos ex aere Dianae simulacrum cum summa atque antiquissima praeditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatus Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat. Nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus admiratione dignum videbatur. Aliquot saeculis post, P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. Qua in victoria, quod diutissime saepissimeque Sicilia vexata a Carthaginiensibus fuit, omnia civitatibus quae cuiusque fuerant restituit.

Illo tempore Segestanorum maxima cura haec ipsa Diana de qua dicimus redditur; reportatur Segestam; in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione civium et laetitia reponitur. Haec erat posita Segestae sane excelsa in basi, in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum. Colebatur a civibus, ab omnibus advenis visebatur. Nihil mihi quaestori ab illis est demonstratum prius. Erat admodum et excelsum signum cum stola. Verum tamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem faciem praeferbat.

(După Cicero, *De signis*, 72–74).

Portretul lui Catilina

Habuit ille permulta maxima maximarum non expressa signa, sed adumbrata lineamenta virtutum. Utebatur hominibus improbis multis; et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum

multae, erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigeabant etiam studia rei militaris. Neque unquam fuit tale monstrum in terris ullum, tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum.

Illa vero in illo homine mirabilia fuerunt: comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia; versare suam naturam et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere ac flectere, cum tristibus severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinis luxuriose vivere.

(Cicero, *Pro Caelio*, 5)

Elocința lui Isocrate

Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, fuit magnus orator et perfectus magister, quanquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam quam nemo, meo quidem iudicio, est postea consecutus. Is et multa scripsit praeclare et docuit alios; ipse primus etiam in soluta oratione modum et numerum quemdam servavit. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, ea non quaerebatur dedita opera: quae forsitan laus sit; verum tamen natura magis tum casuque nonnunquam, quam aut ratione aliqua aut observatione fiebat. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam; et aures ipsae quid plenum, quid inane sit iudicant et spiritus quasi necessitate aliqua verborum comprehensio terminatur.

(Cicero, *Brutus*, 8)

Lupul și mielul

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant siti compulsi; superior stabat lupus longeque inferior agnus. Tunc fauce improba latro incitatus iurgii causam intulit.

« Quare », inquit, « turbulentam fecisti mihi aquam bibenti? » Laniger contra timens:

« Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe? »

A te decurrit ad meos haustus liquor. »

Repulsus ille veritatis viribus:

« Ante hos sex menses male » ait « dixisti mihi. »

Respondit agnus: « Equidem natus non eram. »

« Pater hercle tuus » ille inquit « male dixit mihi »;
atque ita correptum lacerat, iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
qui fictis causis innocentes opprimunt.

(Phaedrus, I, 1)

Broasca și boul

Inops potentem dum vult imitari perit.
In prato quondam rana conspexit bovem
et tacta invidia tantae magnitudinis
rugosam inflavit pellem; tum natos suos
interrogavit an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
maiore nisu, et simili quaesivit modo,
quis maior esset. Illi dixerunt bovem.
Novissime indignata dum vult validius
inflare sese, rupto iacuit corpore.

(Phaedrus, I, 24)

Biblioteci de lux

Quo innumerabiles libros et bibliothecas, quarum dominus vix tota vita indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit, multoque satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadraginta milia librorum Alexandriae arserunt; pulcherrimum regiae opulentiae monumentum alius laudaverit, sicut T. Livius, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse: non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria, immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium sed in spectaculum comparaverant, sicut plerisque ignaris etiam puerilium litterarum libri non studiorum instrumenta, sed cenationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatus. « Honestius » inquit « hoc se impensae quam in Corinthia pictasque tabulas effuderint ». Vitiosum est ubique, quod nimium est. Quid habes cur ignoscas homini armaria e citro atque ebore captanti, corpora conquiriti aut ignotorum auctorum aut improbatorum et inter tot milia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis quicquid orationum historiarumque est, tecto tenus exstructa loculamenta; iam enim inter balnearia et thermas bibliotheca quoque ut necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si studiorum nimia cupidine erraretur: nunc ista conquisita, cum imaginibus suis discripta sacrorum opera ingeniorum in speciem et cultum parietum comparantur.

(Seneca, *De tranquill. animi*, 9)

Lauda vieții de la țară

Beatus ille qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium
paterna rura bobus exercet suis,
solutus omni fenore,
neque excitatur classico miles truci
neque horret iratum mare,
forumque vitat et superba civium
potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
altas maritat populos,
aut in reducta valle mugientium
prospectat errantes greges,
inutilesque falce ramos amputans
feliciores inserit,
aut pressa puris mella condit amphoris,
aut tondet infirmas oves;
vel, cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
ut gaudet insitiva decerpens pira
certantem et uvam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
modo in tenaci gramine;
labuntur altis interim ripis aquae,
queruntur in silvis aves,
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
imbres nivesque comparat,
aut trudit acres hinc et hinc multa cane
apros in obstantes plagas
aut amite levi rara tendit retia,
turdibus edacibus dolos,
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
iucunda captat praemia.
Quis non malarum quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?

(Horatius, *Epod.*, II, v. 1—38)

Lauda Italiae

Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,
nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
Haec loca non tauri spirantes naribus ignem
invertere satis immanis dentibus hydri,
nec galeis densisque virum seges horruit hastis;
sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor
implevere; tenent oleae armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert,
hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
Hic ver assiduum atque alienis mensibus aestas:
bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidae tigres absunt et saeva leonum
semina, nec miseros fallunt aconita legentes,
nec rapit immensos orbis per humum neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes operumque laborem,
tot congesta manu praeruptis oppida saxis
fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare quod supra memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? Te, Lari maxime, teque,
fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?
An memorem portus Lucrinoque addita claustra
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?
Haec eadem argenti rivos aerisque metalla
ostendit venis atque auro plurima fluxit.

.....
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
magna virum: tibi res antiquae laudis et artis
ingredior sanctos ausus recludere fontes,
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.

(Vergilius, *Georg.*, II, v. 136—166, 173—176)

Mors poetulae Tibullus

Cum rapiunt mala fata bonos (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare deos.
Vive pius; moriere pius. Cole sacra; colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis; iacet, ecce, Tibullus,
Vix manet e toto, parva quod urna capit.
Tene, sacer vates, flammae rapuere rogales
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Urere, quae tantum sustinere nefas.
Avertit vultus, Eycis quae possidet arces;
Sunt quoque qui lacrimas continuisse negant.
Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus,
Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater et in cineres ultima dona tulit;
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas dilaniata comas,
Cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque
Oscula nec solos destituere rogos.
Delia descendens: « Felicius, inquit, amata
Sum tibi; vixisti, dum tuus ignis eram. »
Cui Nemesis: « Quid, ait, tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu. »
Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit:
Obvius huic venies hedera iuvenalia cinctus
Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo;
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua est; siqua est modo corporis umbra,
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

(Ovidius, *Amores*, III, 9)

Ar iintiri

Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,
 milia qui novies distat ab Urbe decem;
 editus hic ego sum, nec non, ut tempora noris,
 cum cecidit fato consul uterque pari,
 si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
 non modo fortunae munere factus eques.
 Nec stirps prima fui, genito sum fratre creatus,
 qui tribus ante quater mensibus ortus erat;
 Lucifer amborum natalibus adfuit idem,
 una celebrata est per duo liba dies;
 haec est armiferae festis de quinque Minervae,
 quae fieri pugna prima cruenta solet.
 Protinus excolimur teneri cura parentis
 imus ad insignes Urbis ab arte viros:
 frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
 fortia verbosi natus ad arma fori,
 at mihi iam pūero caelestia sacra placebant,
 inque suum furtim Musa trahebat opus.
 Saepe pater dixit «studium quid inutile temptas?
 Maeonides nullas ipse reliquit opes.»
 Motus eram dictis totoque Helicone relictis
 scribere temptabam verba soluta modis.
 Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
 et, quod temptabam scribere, versus erat.
 Interea tacito passu labentibus annis
 liberior fratri sumpta mihiq̃ue toga est,
 induiturque humeris cum lato purpura clavo,
 et studium nobis, quod fuit ante, manet.
 Iamque decem vitae frater geminaverat annos,
 cum perit, et coepi parte carere mei.
 Cepimus et tenerae primos aetatis honores,
 eque viris quondam pars tribus una fui.
 Curia restabat: clavi mensura coacta est;
 maius erat nostris viribus illud onus
 nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
 sollicitaeque fugax ambitionis eram,
 et petere Aoniae suadebant tuta sorores
 otia iudicio semper amata meo.
 Temporis illius colui fovique poetas,

quotque aderant vates, rebar adesse deos:
 saepe suos volucres legit mihi grandior aevo,
 quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer;
 saepe suos solitus recitare Propertius ignes
 iure sodalicii, quo mihi iunctus erat;
 Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis
 dulcia convictus membra fuere mei,
 et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
 dum ferit Ausonia carmina culta lyra;
 Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
 tempus amicitiae fata dedere meae;
 successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi,
 quartus ab his serie temporis ipse fui.
 Utque ego maiores, sic me coluere minores,
 notaque non tarde facta Thalia mea est.
 Carmina cum primum populo iuvenalia legi,
 barba resecta mihi bisve semelve fuit;
 moverat ingenium totam cantata per Urbem
 nomine non vero dicta Corinna mihi.
 Multa quidem scripsi, sed quae vitiosa putavi,
 emendaturis ignibus ipse dedi;
 tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi
 iratus studio carminibusque meis.

(Ovidius, *Tristia*, IV, 10, v. 3—64)

Iarna în țara geților

Siquis adhuc istic meminit Nasonis adepti,
 Et superest sine me nomen in Urbe meum,
 Suppositum stellis numquam tangentibus aequor
 Me sciat in media vivere barbaria.
 Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique Getaeque,
 Quam non ingenio nomina digna meo!
 Dum tamen aura tepet, medio defendimur Histro:
 Ille suis liquidus bella repellit aquis.
 At cum tristis hiems squalentia protulit ora,
 Terraque marmoreo est candida facta gelu,
 Dum patet et boreas et nix iniecta sub arcto
 Tum patet has gentes axe trementi premi.
 Nix iacet, et iactam ne sol pluviaeque resolvant,
 Indurat boreas perpetuamque facit.

Ergo ubi deliquit nondum prior, altera venit,
 Et solet in multis bima manere locis.
 Tantaque commoti vis est aquilonis, ut altas
 Aequet humo turres tectaque rapta ferat.
 Pellibus et sutis arcent mala frigora braxis,
 Oraque de toto corpore sola patent.
 Saepe sonant moti glacie pendente capilli,
 Et nitet inducto candida barba gelu;
 Nudaque consistunt, formam servantia testae,
 Vina nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
 Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
 Deque lacu fragiles effodiantur aquae?
 Ipse, papyrifero qui non angustior amne
 Miscetur vasto multa per ora freto,
 Caeruleos ventis latices durantibus, Hister
 Congelat et tectis in mare serpit aquis.
 Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas
 Frigore concretas ungula pulsat equi,
 Perque novos pontes subter labentibus undis
 Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
 Vix equidem credar, sed cum sint praemia falsi
 Nulla, ratam debet testis habere fidem:
 Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
 Lubricaque immotas testa premebat aquas.
 Nec vidisse sat est; durum calcavimus aequor,
 Undaque non udo sub pede summa fuit.
 Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
 Non foret angustae mors tua crimen aquae.
 Tum neque se pandi possunt delphines in auras
 Tollere; conantes dura coërcet hiems.
 Et quamvis boreas iactatis insonet alis,
 Fluctus in obsesso gurgite nullus erit;
 Inclusaeque gelu stabunt in marmore puppes,
 Nec poterit rigidas findere remus aquas.
 Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,
 Sed pars ex illis tunc quoque viva fuit.
 Sive igitur nimii boreae vis saeva marinas,
 Sive redundatas flumine cogit aquas,
 Protinus, aequato siccis aquilonibus Histro,
 Invehitur celeri barbarus hostis equo,
 Hostis equo pollens longeque volante sagitta
 Vicinam late depopulatur humum.

Diffugiunt alii, nullisque tuentibus agros
 Incustoditae diripiuntur opes,
 Ruris opes parvae, pecus et stridentia plaustra
 Et quas divitias incola pauper habet.
 Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
 Respiciens frustra rura laremque suum,
 Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:
 Nam volucris ferro tinctile virus inest.
 Quae nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt,
 Et cremat insontes hostica flamma casas.

(Ovidius, *Tristia* III, 10 v. 1—66).

Originea limbii

Tunc et amicitiam coeperunt iungere aventes
 finitimi inter se nec laedere nec violari,
 et pueros commendarunt muliebrique saeculum,
 vocibus et gestu cum balbe significarent
 imbecillorum esse aequum misererier omnis.
 Nec tamen omnimodis poterat concordia gigni,
 sed bona magnaue pars servabat foedera caste;
 aut genus humanum iam tum foret omne peremptum
 nec potuisset adhuc perducere saecula propago.
 At varios linguae sonitus natura subegit
 mittere et utilitas expressit nomina rerum,
 non alia longe ratione atque ipsa videtur
 protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
 cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
 Sentit enim vis quisque suas quoad possit abuti.
 Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent,
 illis iratus petit atque infestus inurget.
 At catuli pantherarum scymnique leonum
 unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
 vix etiam cum sunt dentes unguisque creati.
 Alituum porro genus alis omne videmus
 fidere et a pinnis tremulum petere auxilium.
 Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
 rebus et inde homines didicisse vocabula prima,
 desiperest. Nam cur hic posset cuncta notare

vocibus et varios sonitus emittere linguae,
 tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
 Praeterea si non alii quoque vocibus usi
 inter se fuerant, unde insita notities est
 utilitatis et unde data est huic prima potestas,
 quid vellet facere ut sciret animoque videret?
 Cogere item pluris unus victosque domare
 non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.
 Nec ratione docere ulla suadereque surdis,
 quid sit opus facto, facilest; neque enim paterentur
 nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris
 vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
 Postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
 si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
 pro vario sensu varia res voce notaret?
 Cum pecudes mutae, cum denique saecula ferarum
 dissimiles soleant voces variasque ciere,
 cum metus aut dolor est et cum iam gaudia gliscunt.
 Quippe etenim licet id rebus cognoscere apertis.
 Irritata canum cum primum magna Molossum
 mollia ricta fremunt duos nudantia dentes,
 longe alio sonitu rabie restricta minantur,
 et cum iam latrant et vocibus omnia complent.
 Et catulos blande cum lingua lambere temptant
 aut ubi eos iactant pedibus morsuque petentes
 suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
 longe alio pacto gannitu vocis adulant,
 et cum deserti baubantur in aedibus aut cum
 plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
 Denique non hinnitus item differre videtur,
 inter equas ubi equus florenti aetate iuencus
 pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris
 et fremitum patulis sub naribus edit ad arma,
 et cum sic alias concussis artibus hinnit?
 Postremo genus alituum variaequae volucres,
 accipitres atque ossifragae mergique marinis
 fluctibus in salso victum vitamque petentes,
 longe alias alio iaciunt in tempore voces,
 et cum de victu certant praedaeque repugnant.
 Et partim mutant cum tempestatibus una
 raucisonos cantus, cornicum ut saecula vetusta

corvorumque greges ubi aquam dicuntur et imbris
 poscere et interdum ventos aurasque vocare.
 Ergo si varii sensus animalia cogunt,
 muta tamen cum sint, varias emittere voces,
 quanto mortales magis aequumst tum potuisse
 dissimiles alia atque alia res voce notare!

(Lucretius, *De rerum natura*, V, v. 1019—1090)

Firea moldovenilor

Moldavorum mores descripturis, rem alias vel nemini vel paucis exterorum
 cognitam, amor patriae instat iubetque eam gentem laudibus efferre, in qua nati
 sumus, eiusque terrae colonos commendare, quae nobis originem dedit: at
 obsistit vicissim veritatis studium, prohibetque ea praedicare, quae reprehendenda
 recta ratio suaderet: consultius fore patriae, ut eius incolis ea quibus scaterent
 vitia ingenue ob oculos ponerentur, quam ut blanda adulatione, sollertique excu-
 satione deciperentur, ut crederent, recte a se agi, quae totus elegantioribus
 imbutus moribus orbis terrarum vituperat.

Arrogantia et superbia mater illis et soror est: si generosum equum et arma
 praestantiora possidet Moldavus, se superiorem putabit neminem: nec cum Deo
 pugnare, si casus ita ferret, recusabit. Universi procaces sunt et ad lites ciendas
 faciles, statim tamen remittunt animos et adversae parti conciliantur.

Monomachiae apud illos inauditum nomen. Rustici a verbis raro ad arma
 descendunt, sed baculis, fustibus et pugnis liberiora sodalium ora compescunt;
 idem et milites faciunt, infrequentius a verberibus ad arma deveniunt, eamque
 audaciam, si quando acciderit, severissimis poenis expiare debent.

Iocosi sunt et hilares, cor non longe ab ore remotum habent, sed ut ini-
 micitiae facile obliviscuntur, ita etiam neque amicitiae longam conservant
 memoriam. Ebrietatem neque horrent, neque depereunt; in deliciis tamen habent
 ab hora diei sexta usque ad tertiam noctis, nonnunquam etiam ad diluculum longa
 protrahere convivia, largoque ad vomitum usque se ingurgitare mero. Neque
 tamen id cotidie facere solent, sed tantum diebus festis, aut ingruentibus hiber-
 nis tempestatibus, cum frigus intra conclavium parietes incolas concludit, et
 membra vino calefacere suadet. Crematum non amant, nisi milites, reliqui non
 nisi unicum, eamque parvam phialam ante prandium ebibunt. Vini in inferiori
 praesertim Moldavia et Valachiae confiniis sunt amantiores. Moderationem animi
 nullam noverunt: secundis in rebus inflantur, in adversis demittunt animum.
 Primo intuitu nihil ipsis difficile videtur: si minima intercesserit adversitas,
 turbantur, et quid consilii capiant nesciunt, tandem si irritos esse suos conatus
 vident, sera commissorum ducuntur paenitentia.

Ceterum Moldavi litterarum non solum non amatores, sed et osores cuncti fere exstiterunt. Bonarum artium et scientiarum ipsa etiam nomina illis ignorantur. Eruditos non posse non mente privari existimant, adeo ut si cuius laudare voluerint doctrinam, eum prae nimia scientia stultum evasisse dicant. Turpe hanc in rem teritur Moldavorum ore proverbium. Litterarum studia sacerdotum sortem esse, laico autem sufficere, ut legere et scribere sciat, nomen suum signare norit, et bovem album, nigrum, cornutum, equos, oves, iumenta, alvearia et, si quae alia eius generis sunt, in catalogo notare possit, reliqua omnia esse supervacanea.

(D. Cantemir, *Descriptio Mold.*, II, 17)

B. TEXTE ISTORICE

Dunărea scitică și afluenții săi

Ister, fluviorum omnium quos novimus maximus, semper sibi ipse aequalis fluit et aestate et hieme. Ab occasu venit primusque est qui Scythicam adluit terram: ob id omnium maximus, quod alii multi in eum influunt. Qui illum augent hi sunt: primum quinque, qui Scythicam terram perfluunt: is quem Scythae Porata, Graeci vero Pyreton vocant; tum deinde Tiarantus; porro Ararus et Naparis et Ordessus. Quem primo loco nominavi horum fluviorum is magnus est, et ad orientem fluens aquam suam cum Istro miscet: secundo loco memoratus, Tiarantus, magis ab occidente, estque minor. Ararus vero et Naparis et Ordessus, medium inter hos cursum tenentes in Istrum influunt. Hi sunt fluvii in ipsa Scythia oriundi, qui Istrum augent. Ex Agathyrsis autem decurrens Maris fluvius itidem cum Istro aquam suam miscet.

(Herodotus, IV, 48)

Țara și obiceiurile sciților

Scythia in orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Rhiphaeis, a tergo Asia et Phasi flumine. Multum in longitudinem et latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines. Neque enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut tectum aut sedes est; armenta et pecora semper pascunt et per incultas solitudines errant. Uxores liberosque secum in plaustis vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque causa tectis pro domibus utuntur. Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto gravius. Aurum et argentum perinde aspernantur ac reliqui mortales adpetunt. Lacte et melle vescuntur. Lanae his usus ac vestium ignotus, quamquam continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur.

(Iustinus, II, 2)

Descrierea Galliei

Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garunna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant proximique sunt Germanis qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars initium capit a flumine Rhodano, continetur Garunna flumine, Oceano, finibus Belgarum, attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum, vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garunna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani quae est ad Hispaniam pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

(Caesar, *De bello Gallico*, I, 1)

Clasele sociale la gali

In omni Gallia eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene servorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. Plerique cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant. Nobilibus in hos eadem omnia sunt iura quae dominis in servos. Sed de his duobus alterum est druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et, siquod est facinus admissum, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt. Siqui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur, his omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus praeest unus qui summam inter eos habet auctoritatem.

Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit, omnes in bello versantur atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

(Caesar, *De bello Gallico*, VI, 13, 15)

Familia la gali

Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur; uter eorum vita superavit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores sicuti in liberos vitae necisque habent potestatem; et cum pater familiae illustriore loco natus decessit, eius propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.

(Caesar, *De bello Gallico*, VI, 19)

Obiceiurile britanilor

Ex Britannis omnibus longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt pellibusque sunt vestiti. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius. Uxores habent deni duodenique inter se communes et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis.

(Caesar, *De bello Gallico*, V, 14)

Obiceiurile germanilor

Germani multum a Gallorum consuetudine differunt. Nam neque druides habent qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit; a parvis labori ac duritiae student.

Agri culturae non student, maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, quique una coierunt quantum et quo loco visum est agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt.

Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus qui ei bello praesint et vitae necisque habeant potestatem deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam quae extra fines cuiusque civitatis fiunt.

(Caesar, *De bello Gallico*, VI, 21—23)

Obiceiurile suebilor

Sueborum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habent, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agri cultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco colendi causa licet. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt multumque sunt in venationibus. Quae res et cibi genere et cotidiana exercitatione et libertate vitae, quod a pueris nullo officio aut disciplina adsuefacti nihil omnino contra voluntatem faciunt, et vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles habeant quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, et laventur in fluminibus.

(Caesar, *De bello Gallico*, IV, 1)

Campania

Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius caelo: denique bis floribus vernali. Nihil uberius solo; nihil hospitalius mari: hic illi nobiles portus Caieta, Misenum, tepentes fontibus Baiae, Lucrinus et Avernus, quaedam maris otia. Hic amicti vitibus montes Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium Vesuvius, Aetnaei ignis imitator. Urbes ad mare Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompei et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas numerata. Pro hac urbe, his regionibus populus Romanus Samnitas invadit, gentem aureis et argenteis armis et discolori veste usque ad ambitum ornatam.

(Florus, *Epitoma*, I, 16)

Africa

In divisione orbis terrae plerique in parte tertia Africam posuere. Ea fines habet ab occidente fretum nostri maris et Oceani, ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae appellant. Mare saevum, importuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arbore infecundus; caelo terraque penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere; nam morbus haud saepe quemquam superat; ad hoc malefici generis plurima animalia.

Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique, quibus cibus erat caro ferina atque humi pabulum, ut pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, qua nox coegerat, sedes habebant.

(Sallustius, *Iugurtha*, 17, 18)

Poziția favorabilă a orașului Roma

Romulus Urbi locum incredibili opportunitate delegit. Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit facillimum; nam non sunt opportunissimi situs maritimi urbibus eis quae ad spem diuturnitatis conduntur atque imperii, primum quod sunt urbes maritimae non multis solum periculis oppositae, sed etiam caecis. Terra continens adventus hostium non modo expectatos, sed etiam repentinos multis indiciis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat; neque vero quisquam potest hostis advolare terra. Maritimus vero ille et navalis hostis ante adesse potest quam quisquam suspicatur.

Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum; admiscetur enim novis sermonibus ac disciplinis et importantur non merces solum adventiciae, sed etiam mores; nihil potest igitur in patriis institutis manere integrum. Iam qui incolunt eas urbes non haerent in suis sedibus, sed volucris semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius; atque etiam cum manent corpore, animo exsulant et vagantur.

(După Cicero, *De republica*, II, 3)

Descrierea Germaniei

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda; humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam adspicit: satis ferax, frugiferarum arborum impatiens; pecorum fecunda, sed plerumque improcera; ne armentis quidem suus honos, aut gloria frontis; numero gaudent eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum non cognoscunt neque quisquam ullam Germaniae venam scrutatus est. Videntur apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur; quamquam proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facili or usui est promiscua ac vilia mercantibus.

(După Tacitus, *Germania*, 5)

India antică

India tota ferme spectat orientem, minus in latitudinem, quam recta regione spatiosa. Quae austrum accipiunt in altius terrae fastigium excedunt: plana sunt cetera multisque inclitis amnibus Caucaso monte ortis placidum per campos iter praebent. Indus gelidior est quam ceteri: aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes. Ganges, omnium ab Oriente fluvius maximus, ad meridi-

anam regionem decurrit et magnorum montium iuga recto alveo stringit: inde cum obiectae rupes inclinant ad orientem. Uterque Rubro mari accipitur.

Indus ripas multasque arbores cum magna soli parte exorbet, saxis quoque impeditus, quis crebro reverberatur: ubi mollius solum repperit, stagnat insulasque molitur. Ganges decursurum Iomanen intercipit magnoque motu amnis uterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti obicit, nec percussae aquae cedunt. Multis praeter hos omnibus tota regio dividitur, sed ignobilibus, quia non adita interfluunt. Ceterum quae propiora sunt mari aquilone maxime deurrunt.

Terra lini ferax: inde plerisque sunt vestes. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt. Animalia invisitata ceteris gentibus nisi invecta. Eadem terra rhinocerotas aliis ignotos generat. Elephantorum maior vis est quam quos in Africa domitant et viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit: neque alia illis maior opulentiae causa est, utique postquam vitiorum commercium vulgare in exteras gentes. Ingenia hominum, sicut ubique, apud illos locorum quoque situs format. Corpora usque pedes carbaso velant, soleis pedes, capita linteis vinciunt, lapilli ex auribus pendent: brachia quoque et lacertos auro colunt; capillum pectunt saepius quam tondent, mentum semper intonsum est.

(După Curtius Rufus, *Hist. Alex.*, VIII, 9).

Marile râuri ale Orientului antic

Magnae opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam aliae aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus irrigat et, cum tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit mollitosque et oblimatos ad serendum agros relinquit. Idem ubi ad illa quae Catadupa nominantur praecipitatur ex altissimis montibus, ea gens quae illum locum accolit propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret.

Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros lactificat et mitigat, sed eos etiam conserit: magnam enim vim seminum secum, frumenti similium, deportat. Multaque alia aliis in locis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum.

(După Cicero, *De nat. deor.* II, 52, *De rep.* VI, 18).

Descoperirea mormintului lui Arhimede

Archimedis ego quaestor ignoratum ab Syracusanis saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, qui in eius monumento inscripti erant; ut hi versus declarabant, in summo sepulcro sphaera erat posita cum cylindro. Ego autem, omnia collus-

trans oculis (est enim ad portas Acragantinas magna frequentia sepulcrorum), animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi: « Hoc est Archimedis sepulcrum, quod quaerimus! ». Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Postquam patefactus est aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma, cuius versiculi vetustate exesi, dimidiati fere, erant. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis acutissimi monumentum quod antea ignoraverat ab homine Arpinate nunc didicit.

(După Cicero, *Tusc. disp.* V, 23).

Contradicțiile de clasă de la Roma după războaiele punice

Ante Carthaginem deletam, populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant; neque gloriae neque dominationis certamen inter cives erat: metus hostiles in bonis artibus civitatem retinebant. Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in adversis rebus optaverant otium postquam adepti sunt, acerbius asperiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt, respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant; interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiae invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

(Sallustius, *Iugurtha*, 41)

Portretul lui Catilina

L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, alboris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolanus, varius, cuius rei libet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.

(Sallustius, *Catilina*, 5).

Tulburări în rîndurile plebeilor din pricina transformării datornicilor neplătnici în sclavi

Sed et bellum Volscum imminabat et civitas secum ipsa discors intestino inter patres plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ob aes alienum. Fremebant se foris pro libertate et imperio dimicantes domi a civibus captos et oppressos esse tutioremque in bello quam in pace et inter hostes quam inter cives libertatem plebis esse; invidiamque eam sua sponte gliscentem insignis unius calamitas accendit. Magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit. Obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti; ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. Noscitabatur tamen in tanta deformitate et ordines duxisse aiebant aliaque militiae decora vulgo miserantes eum iactabant; ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus, unde ille habitus, unde deformitas, cum circumfusa turba esset prope in contionis modum, Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, aes alienum fecisse. Id cumulatam usuris primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus; ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse. Inde ostentare tergum foedum recentibus vestigiis verberum. Ad haec visa auditaque clamor ingens oritur. Non iam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. Nexi, vincti solutique, se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. Nullo loco deest seditionis voluntarius comes; multis passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur.

Magno cum periculo suo, qui forte patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt; nec temperatum manibus foret, ni propere consules, P. Servilius et Ap. Claudius, ad comprimendam seditionem intervenissent. At in eos multitudo versa ostentare vincula sua deformitatemque aliam. Haec se meritis dicere exprobrantes suam quisque alius alibi militiam; postulare multo minaciter magis quam suppliciter, ut senatum vocarent curiamque ipsi futuri arbitri moderatoresque publici consilii circumstant. Pauci admodum patrum, quos casus obtulerat, contracti ab consulibus; ceteros metus non curia modo, sed etiam foro arcebat, nec agi quicquam per infrequentiam poterat senatus. Tum vero eludi atque extrahi se multitudo putare et patrum qui abessent, non casu, non metu, sed impediendae rei causa abesse, et consules ipsos tergiversari, nec dubie ludibrio esse miseras suas. Iam prope erat ut ne consulum quidem maiestas coerceret iras hominum, cum incerti, morando an veniendo plus periculi contraherent, tandem in senatum veniunt; frequentique curia non modo inter patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis conveniebat. Appius, vehementis ingenii

vir, imperio consulari rem agendam censebat: uno aut altero adrepto, quieturos alios; Servilius, lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti quam frangi putabat cum tutius tum facilius esse.

(Titus Livius, II, 23)

Retragerea plebeilor pe Muntele Sacru și mediația lui Menenius Agrippa

Timor inde patres incessit ne, si dimissus exercitus foret, rursus coetus occulti coniurationesque fierent. Itaque, quamquam per dictatorem dilectus habitus esset, tamen, quoniam in consulum verba iurassent, sacramento teneri militem rati, per causam renovati ab Aequis belli educi ex urbe legiones iussere. Quo facto maturata est seditio. Et primo agitatum dicitur de consulum caede, ut solverentur sacramento; doctos deinde nullam scelere religionem exsolvi, Sicinio quodam auctore iniussu consulum in Sacrum montem secessisse — trans Anienem amnem est, tria ab urbe milia passuum (ea frequentior fama est quam cuius Piso auctor est in Aventinum secessionem factam esse) —; ibi sine ullo duce vallo fossaque communitis castris quieti, rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo, per aliquot dies neque lacesciti, neque lacescentes sese tenere.

Pavor ingens in urbe metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta ab suis plebes violentiam patrum; timere patres residem in urbe plebem, incerti manere eam an abire mallent. Quamdiu autem tranquillam quae secesserit multitudinem fore? Quid futurum deinde, si quod externum interim bellum existat? Nullam profecto nisi in concordia civium spem reliquam ducere; eam per aequa, per iniqua reconciliandam civitati esse. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum et, quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra prisco illo dicendi et horrido modo nihil aliud quam hoc narrasse fertur: tempore quo in homine non, ut nunc, omnia in unum consentientia, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui; conspirasse inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnis corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas, maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in patres, flexisse mentes hominum.

Agi deinde de concordia coeptum concessumque in condiciones ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebei creati duo.

C. Licinius et L. Albinus. Hi tres collegas sibi creaverunt; in his Sicinium fuisse constat, seditionis auctorem; de duobus qui fuerint minus convenit. Sunt qui duos tantum in Sacro monte creatos tribunos esse dicant ibique sacratam legem latam.

(Titus Livius, II, 32—33)

Incerarea patricienilor de a înfometa plebea

Eo anno, cum et foris quieta omnia a bello essent et domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit: caritas primum annonae ex incultis per secessionem plebis agris, fames deinde, qualis clausis solet. Ventumque ad interitum servitiorum utique et plebis esset, ni consules providissent, dimissis passim ad frumentum coemendum non in Etruriam modo dextris ab Ostia litoribus laevoque per Volscos mari usque ad Cumas, sed in Siciliam quoque... Magna vis frumenti ex Sicilia advecta agitatumque in senatu quanti plebi daretur. Multi venisse tempus premendae plebis putabant recuperandique iura quae extorta secessionem ac vi patribus essent. In primis Marcius Coriolanus, hostis tribuniciae potestatis, « si annonam », inquit, « veterem volunt, ius pristinum reddant patribus. Cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem video sub iugum missus, tamquam ab latronibus redemptus? Egone has indignitates diutius patiar quam necesse est? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, avocet plebem; patet via in Sacrum montem aliosque colles. Rapiant frumenta ex agris nostris quem ad modum tertio anno ante rapuere; fruuntur annona quam furore suo fecere. Audeo dicere hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant ». Haud tam facile dictu est faciendumne fuerit quam potuisse arbitror fieri ut condicionibus laxandi annonam et tribuniciam potestatem et omnia invitis iura imposita patres demerent sibi.

Et senatui nimis atrox visa sententia est et plebem ira prope armavit: fame se iam sicut hostes peti, cibo victuque fraudari; peregrinum frumentum, quae sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapi, nisi Cn. Marcio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanae satisfiat. Eum sibi carnificem novum exortum, qui aut mori aut servire iubeat. In exeuntem e curia impetus factus esset, ni peropportune tribuni diem dixissent.

(Titus Livius, II, 34)

Promulgarea primei legi de reformă agrară

Sp. Cassius deinde et Proculus Verginius consules facti. Cum Hernicis foedus ictum; agri partes duae ademptae. Inde dimidium Latinis, dimidium plebi divisurus consul Cassius erat. Adiciebat huic muneri agri aliquantum, quem publicum possideri a privatis criminabatur. Id multos quidem patrum, ipsos

possessores, periculo rerum suarum terrebat; sed et publica patribus sollicitudo inerat, largitione consulem periculosas libertati opes struere. Tum primum lex agraria promulgata est, numquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata. Consul alter largitioni resistebat, auctoribus patribus, nec omni plebe adversante, quae primo coeperat fastidire munus vulgatum: a civibus abisse in socios; saepe deinde et Verginium consulem in contionibus velut vaticinantem audiebat pestilens collegae munus esse, agros illos servitutem iis qui acceperint laturos, regno viam fieri...

Popularis iam esse dissuasor et intercessor legis agrariae coeperat. Uterque deinde consul certatim plebi indulgere. Verginius dicere passurum se adsignari agros, dum ne cui nisi civi Romano adsignentur; Cassius, quia in agraria largitione ambitiosus in socios eoque civibus vilior erat, ut alio munere sibi reconciliaret civium animos, iubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo...

(Titus Livius, II, 41)

Ocuparea Capitoliului de către o ceată de exilați și sclavi

Accipiunt civitatem placidiorem consules C. Claudius Appi filius et P. Valerius Publicola. Nihil novi novus annus attulerat; legis ferendae aut accipiendae cura civitatem tenebat. Quantum iuniores patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant ut plebi suspectos eos criminando facerent; coniurationem factam; Caesonem Romae esse; interficiendorum tribunorum, trucidandae plebis consilia inita; id negotii datum ab senioribus patrum ut iuventus tribuniciam potestatem e re publica tolleret formaque eadem civitatis esset quae ante Sacrum montem occupatum fuerat.

Et ab Volscis et Aequis statum iam ac prope solemne in singulos annos bellum timebatur, propiusque aliud novum malum necopinato exortum; consules servique, ad duo milia hominum et quingenti, duce Appio Herdonio Sabino, nocte Capitolium atque arcem occupavere. Confestim in arce facta caedes eorum qui coniurare et simul capere arma noluerant; alii inter tumultum praecipites pavore in forum devolant: alternae voces « Ad arma » et « Hostes in urbe sunt » audiebantur.

Consules et armare plebem et inermem pati timebant, incerti quod malum repentinum, externum an intestinum, ab odio plebis an ab servili fraude urbem invasisset; sedabant tumultus, sedando interdum movebant: nec enim poterat pavidam et consternatam multitudinem regi imperio. Dant tamen arma, non vulgo, tantum ut incerto hoste praesidium satis fidum ad omnia esset. Solliciti reliquum noctis incertique qui homines quantus numerus hostium esset, in stationibus disponendis ad opportuna omnis urbis loca agere. Lux deinde aperuit bellum ducemque belli. Servos ad libertatem Appius Herdonius ex Capitolio vocabat: se miser-

rimi cuiusque suscepisse causam, ut exsules iniuria pulsos in patriam reduceret et servitiis grave iugum demeret; id malle populo Romano auctore fieri; si ibi spes non sit, se Volscos et Aequos et omnia extrema temptatum et concitatum.

(Titus Livius, III, 15)

Legea celor zece table

Cum promptum hoc ius velut ex oraculo incorruptum pariter ab iis summi infimique ferrent, tum legibus condendis opera dabatur; ingentique hominum expectatione propositis decem tabulis, populum ad contionem advocaverunt et quod bonum, faustum felixque rei publicae ipsis liberisque eorum esset, ire et legere leges propositas iussere: Se, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus, summis infimisque, iura aequasse: plus pollere multorum ingenia consiliaque. Versarent in animis secum unamquamque rem, agitent deinde sermonibus atque in medium quid in quaque re plus minusve esset conferrent: eas leges habiturum populum Romanum quas consensus omnium non iussisse latas magis quam tulisse videri posset.

Cum ad rumores hominum de unoquoque legum capite editos satis correctae viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatae sunt, qui nunc quoque, in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privati est iuris.

Vulgatur deinde rumor duas deesse tabulas, quibus adiectis absolvi posse velut corpus omnis Romani iuris. Ea expectatio, cum dies comitiorum appropinquaret, desiderium decemviro iterum creandi fecit: iam plebs, praeterquam quod consulum nomen haud secus quam regum perosa erat, ne tribuniciū quidem auxilium, cedentibus in vicem appellatione decemviris quaerebat.

(Titus Livius, III, 34)

A doua retragere a plebeilor pe Muntele Sacru

Per M. Duillium, qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs contentionibus assiduis nihil transigi, in Sacrum montem ex Aventino transit, affirmando Duillio non prius quam deseri Urbem videant curam in animos patrum descensuram; admonitum Sacrum montem constantiae plebis sciturosque sine restituta potestate tribunicia redigi in concordiam resne queant. Via Nomentana, cui tum Ficulensi nomen fuit, profecti castra in monte Sacro locavere, modestiam patrum suorum nihil violando imitati. Secuta exercitum plebs, nullo qui per aetatem ire posset retractante. Prosequuntur coniuges liberique, cuinam se relinquerent in ea urbe in qua nec pudicitia nec libertas sancta esset miserabiliter rogantes.

Cum vasta Romae omnia insueta solitudo fecisset, in foro praeter paucos seniorum nemo esset, vocatis utique in senatum patribus desertum apparisset forum, plures iam quam Horatius ac Valerius vociferabantur: « Quid expectabitis, patres conscripti? Si decemviri finem pertinaciae non faciunt, ruere ac deflagrare omnia passuri estis? Quod autem istud imperium est, decemviri, quod amplexi tenetis? Tectis ac parietibus iura dicturi estis? Non pudet lictorum vestrorum maiorem prope numerum in foro conspici quam togatorum aliorum? Quid, si hostes ad Urbem veniant, facturi estis? Quid si plebs mox, ubi parum secessionem moveamur, armata veniat? Occasune Urbis vultis finire imperium? Atqui aut plebs non est habenda aut habendi sunt tribuni plebis. Non citius caruerimus patriciis magistratibus quam illi plebeis. Novam inexpertamque eam potestatem eripere patribus nostris, nedum hac dulcedine semel capti ferant desiderium, cum praesertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant ». Cum haec ex omni parte iactarentur, victi consensu decemviri futuros se, quando ita videatur, in potestate patrum adfirmant. Id modo simul orant ac monent ut ipsis ab invidia caveatur nec suo sanguine ad supplicia patrum plebem adsuefaciant.

(Titus Livius, III, 52)

Condițiile plebeilor

Tum Valerius Horatiusque, missi ad plebem condicionibus quibus videretur revocandam componendasque res, decemviris quoque ab ira et impetu multitudinis praecavere iubentur. Profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur, quippe liberatores haud dubie et motus initio et exitu rei. Ob haec iis advenientibus gratiae actae. Icilius pro multitudine verba facit. Idem, cum de condicionibus ageretur, quaerentibus legatis, quae postulata plebis essent, composito iam ante adventum legatorum consilio ea postulavit, ut appareret in aequitate rerum plus quam in armis reponi spei. Potestatem enim tribuniciam provocationemque repetebant, quae ante decemviros creatos auxilia plebis fuerant, et ne cui fraudi esset concisse milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. De decemvirorum modo supplicio atrox postulatum fuit: dedi quippe eos aequum censebant vivosque igni concrematurus minabantur.

Legati ad ea: « Quae consilii fuerunt, adeo aequa postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint; libertati enim ea praesidia petitis, non licentiae ad impugnandos alios. Irae vestrae magis ignoscendum quam indulgendum est, quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis et prius paene, quam ipsi liberi sitis, dominari iam in adversarios vultis. Nunquamne quiescet civitas nostra a suppliciis aut patrum in plebem Romanam aut plebis in patres? Scuto vobis magis quam gladio opus est. Satis superque humilis est, qui iure aequo in civitate vivit nec

inferendo iniuriam nec patiando. Etiam si quando metuendo vos praebituri estis, cum reciperatis magistratibus legibusque vestris iudicia penes vos erunt de capite nostro fortunisque, tunc ut quaeque causa erit statuetis; nunc libertatem repeti satis est ».

(Titus Livius, III, 53)

Sarcinile militare și fiscale ale poporului

... Multa domi militiaeque gesta. Nam et bellum multiplex fuit eodem tempore ad Veios et ad Capenam et ad Falerios et in Volscis, ut Anxur ab hostibus recuperaretur, et Romae simul dilectu simul tributo conferendo laboratum est, et de tribunis plebi cooptandis contentio fuit et haud parvum motum duo iudicia eorum, qui paulo ante consulari potestate fuerant, excivere.

Omnium primum tribunis militum fuit dilectum habere, nec iuniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut urbis custodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus qui domi remanebant, quia tuentibus urbem opera quoque militari laborandum serviendumque rei publicae erat. Haec, per se gravia, indigniora ut viderentur, tribuni plebis seditiosis contionibus faciebant ideo aera militibus constituta esse arguendo ut plebis partem militia, partem tributo conficerent. Unum bellum annum iam tertium trahi et consulto male geri, ut diutius gerant. In quattuor deinde bella uno dilectu exercitus scriptos et pueros quoque ac senes extractos. Iam non aestatis nec hiemis discrimen esse, ne ulla quies umquam miserae plebi sit, quae nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit, ut, cum confecta labore, vulneribus, postremo aetate corpora rettulerint incultaque omnia diutino dominorum desiderio domi invenerint, tributum ex adfecta re familiari pendant aeraque militaria velut fenore accepta multiplicia rei publicae reddant.

(Titus Livius, V, 10)

Un apărător al datornicilor

Insequenti anno . . . grave bellum foris, gravior domi seditio exorta: bellum ab Volscis adiuncta Latinorum atque Hernicorum defectione, seditio, unde minime timeri potuit, a patriciae gentis viro et inclitae famae, M. Manlio Capitolino.

Qui nimius animi cum alios principes sperneret, uni invideret, eximio simul honoribus atque virtutibus, M. Furio, aegre ferebat solum eum in magistratibus, solum apud exercitus esse: tantum iam eminere, ut iisdem auspiciis creatos non pro collegis, sed pro ministris habeat, cum interim, si quis vere aestimare velit, a M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi a se prius Capitolium atque arx servata esset et ille inter aurum accipiendum

et in spem pacis solutis animis Gallos aggressus sit, ipse armatos capientesque arcem depulerit, illius gloriae pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint, suae victoriae neminem omnium mortalium socium esse constet.

His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens et impotens, postquam inter patres non, quantum aecum censebat, excellere suas opes animadvertit, primus omnium ex patribus popularis factus cum plebeis magistratibus consilia communicare, criminando patres, alliciendo ad se plebem iam aura, non consilio ferri famaeque magnae malle quam bonae esse. Et non contentus agrariis legibus, quae materia semper tribunis plebi seditionum fuisset, fidem moliri coepit: acriores quippe aeris alieni stimulos esse, qui non egestatem modo atque ignominiam minentur, sed nervo ac vinculis corpus liberum territent. Et erat aeris alieni magna vis re damnosissima etiam divitibus, aedificando, contracta. Bellum itaque Volscum, grave per se, oneratum Latinorum atque Hernicorum defectione, in speciem causae iactatum, ut maior potestas quaereretur; sed nova consilia Manli magis compulere senatum ad dictatorem creandum. Creatus A. Cornelius Cossus magistrum equitum dixit T. Quinctium Capitolinum.

(Titus Livius, VI, 11)

Proiectele de legi ale plebeilor

Occasio videbatur rerum novandarum propter ingentem vim aeris alieni, cuius levamen mali plebes nisi suis in summo imperio locatis nullum speraret: accingendum ad eam cogitationem esse; conando agendoque iam eo gradum fecisse plebeios, unde, si porro adnitantur, pervenire ad summa et patribus aequari tam honore quam virtute possent.

In praesentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magistratu sibimet ipsi viam ad ceteros honores aperirent. Creatique tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgare leges omnes adversus opes patriciorum et pro commodis plebis, unam de aere alieno, ut deducto eo de capite quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset triennio aequis pensionibus persolveretur; alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret; tertiam ne tribunorum militum comitia fierent consulumque utique alter ex plebe crearetur, — cuncta ingentia et quae sine certamine maximo obtineri non possent.

Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniae, honorum discrimine proposito conterriti patres cum trepidassent publicis privatisque consiliis, nullo remedio alio praeter expertam multis iam ante certaminibus intercessionem invento collegas adversus tribunicias rogationes comparaverunt. Qui ubi tribus ad suffragium ineundum citari a Licinio Sextioque viderunt, stipati patrum praesidiis nec recitari rogationes nec sollemne quidquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt. Iamque frustra saepe concilio advocato cum pro antiquatis rogationes essent: « Bene habet », inquit Sextius; « quando

quidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agite dum, comitia indicite, patres, tribunis militum creandis; faxo ne iuvet vox ista « veto », qua nunc concinentes collegas nostros tam laeti auditis ».

Haud irritae cecidere minae; comitia praeter aedilium tribunorumque plebi nulla sunt habita. Licinius Sextiusque tribuni plebis refectioni nullos curules magistratus creari passi sunt; eaque solitudo magistratuum et plebe reficiente duos tribunos et iis comitia tribunorum militum tollentibus per quinquennium urbem tenuit.

(Titus Livius, VI, 35)

O victorie a plebeilor : dreptul de a alege un consul

Oratio Appi ad id modo valuit, ut tempus rogationum iubendarum proferretur. Refectioni decumum iidem tribuni Sextius et Licinius de decemviris sacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulere. Creati quinque patrum, quinque plebis; graduque eo iam via facta ad consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebes cessit patribus ut in praesentia consulum mentione omitta tribuni militum crearentur... Cum praeter Velitrarum obsidionem tardi magis rem exitus quam dubii quietae externae res Romanis essent, fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem ut M. Furius dictator quintum diceretur...

Vixdum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit; et per ingentia certamina dictator senatusque victus ut rogationes tribuniciae acciperentur; et comitia consulum adversa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus consul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit. Quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem plebis res terribilesque alias minas civilium certaminum venit cum tandem per dictatorem condicionibus sedatae discordiae sunt concessumque ab nobilitate plebi de consule plebeio, a plebe nobilitati de praetore uno, qui ius in urbe diceret ex patribus creando.

(Titus Livius, VI, 42)

Noi victorii ale plebeilor

... Hinc alienatus est ab senatu Aemilius seditiosis tribunatibus similem deinde consulatum gessit. Nam neque, quoad fuit consul, criminari apud populum patres destitit collega haudquaquam adversante, quia et ipse de plebe erat, — materiam autem praebebat criminibus ager in Latino Falernoque agro maligne plebei divisus —, et postquam senatus finire imperium consulibus cupiens, dictatorem adversus rebellantes Latinos dici iussit, Aemilius, cuius tum fasces erant, collegam dictatorem dixit; ab eo magister equitum Iunius Brutus dictus.

Dictatura popularis et orationibus in patres criminosos fuit et quod tres leges secundissimas plebei adversas nobilitati tulit: unam ut plebi scita omnes Quirites tenerent, alteram ut legum quae comitiis centuriatis ferrentur ante initum suffragium patres auctores fierent, tertiam ut alter utique ex plebe, cum eo ventum sit, ut utrumque plebeium fieri liceret, censor crearetur. Plus eo anno domi acceptum cladis ab consulibus ac dictatore quam ex victoria eorum bellicisque rebus foris auctum imperium patres credebant.

(Titus Livius, VIII, 12)

Eliberarea celor închiși pentru datorii

Eo anno plebei Romanae velut aliud initium libertatis factum est, quod nece desiderunt; mutatum autem ius ob unius faeneratoris simul libidinem simul crudelitatem insignem. L. Papirius is fuit, cui cum se C. Publilius ob aes alienum patrum nexum dedisset, quae aetas formaque misericordiam elicere poterant, ad libidinem et contumeliam animum accenderunt. Ut florem aetatis eius fructum adventicium crediti ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus; dein, postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare atque identidem admonere fortunae; postremo, cum ingenuitatis magis quam praesentis condicionis memorem videret, nudari iubet verberaque adferri. Quibus laceratus iuvenis cum se in publicum proripuisset, libidinem crudelitatemque conquerens faeneratoris, ingens vis hominum cum aetatis miseratione atque indignitate iniuriae accensa, tum suae condicionis liberumque suorum respectu, in forum atque inde agmine facto ad curiam concurret; et, cum consules tumultu repentino coacti senatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus laceratum iuvenis tergum, procumbentes ad singulorum pedes, ostentabant. Victum eo die ob impotentem iniuriam unius ingens vinculum fidei; iussique consules ferre ad populum ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compe-dibus aut in nervo teneretur; pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti cautumque in posterum ne necerentur.

(Titus Livius, VIII, 28)

C. TEXTE FILOZOFICE

Thales

Thales, ut Herodotus ac Democritus aiunt, patre Examio, matre Cleobulina natus est, ex Thelidarum familia, qui Phoenicum nobilissimi a Cadmo et Agenore originem ducunt. Primusque sapiens vocatus est, quo tempore Damasius Athenis archon erat: sub quo septem quoque sapientes appellati sunt. Mileti autem civitate donatus est, eo profectus cum Nileo ex Phoenice eiecto. At, ut plures referunt, indigena is fuit Milesius et claro genere natus.

Secundum quosdam duo ingenii sui monumenta reliquit: de conversione et aequinoctio. Primus astrologiae secreta rimatus solis defectus conversionesque praedixit, ut ait Eudemus in ea quam de Astrologia scripsit historia: quocirca eum et Xenophanes et Herodotus admiratur. Laudant eum praeterea Heraclitus et Democritus. Primus et solis cursum a conversione in conversionem reperit solisque magnitudini lunarem orbem comparavit. Primus etiam mensis ultimum diem trigesimam vocavit. De natura quoque primus disseruit, secundum nonnullos.

Ab Aegyptiis vero praecepta geometriae doctus primus descripsit circuli triangulum rectis angulis. Principium omnium, ut ait Thales, aqua est. Anni tempora illorumque vicissitudines primus Thales invenit eumque in trecentos sexaginta quinque dies divisit. Nullo praeceptore usus est, nisi quod in Aegyptum profectus sacerdotum familiaritate usus est. Secundum Thaletem, Nilus crescit quando etesiae, qui contrarii sunt, undas repellunt.

Sapiens Thales obiit, cum certamen gymnicum spectaret, aestu scilicet, siti et debilitate corporis confectus, iam vetulus.

(După Diogenes Laertius, I, 1)

Anaximander

Anaximandro Milesio Praxiades pater fuit. Huius doctrina haec est: principium et elementum est id quod infinitum est, non tamen definiens aera aut aquam aut aliud quippiam; partes quidem eius immutantur, totum vero est

immutabile. Durat medio loco terra centri instar constituta, globosaque est. Luna falso lucet lumine splendoremque a sole mutuatur. Sol terrae aequat magnitudinem et est purissimus ignis.

Primus autem gnomonem invenit ipsumque Lacedaemone in loco idoneo statuit: eo conversiones solis et aequinoctia notantur. Horoscopia quoque fabricatus est, ac primus terrae marisque circuitus descripsit et sphaeram insuper construxit. Placitorum suorum compendium per capita composuit.

Annum egit aetatis sexagesimum quartum ac paulo post obiit diem: floruit autem maxime sub Polycrate, Samiorum tyranno.

(După Diogenes Laertius, II, 1)

Anaximenes

Anaximenes, Eurystrati filius, Milesius, Anaximandri auditor fuit. Principium, ut hic ait, aer et infinitum sunt; moventur sidera non supra terram, sed circa terram. Usus est autem Ionica oratione simplici et minime fucata. Sexagesima tertia Olympiade vixit atque eo anno quo Sardes captae sunt obiit diem.

(După Diogenes Laertius, II, 2).

Heraclitus

Heraclitus Blysonis sive, ut quidam volunt, Heraciontis filius, Ephesius. Hic circa nonam et sexagesimam Olympiadem clarus est habitus. Fuit autem a puero mirabilis; neminem quidem audivit, verum semet ipsum pervestigando operam dedit omniaque ex semet ipso didicit.

Eius vero qui legitur liber generaliter quidem de natura est, ceterum tres in partes scinditur: namque et de universo et de republica et de theologia disserit. Sunt autem ista quae illi summatim visa sunt: ex igne cuncta constant in eumque resolvuntur omnia; fato omnia fiunt et ex conversione contraria quae sunt omnia congruunt et coaptantur.

Dixit et de iis quae in mundo contingunt omnibus: solis ea est magnitudo quae cernitur oculis. Animae termini nunquam reperiri possunt, quacunque quis via id exploraverit: adeo profunda eius est ratio. Clare quidem interdum et aperte in suo opere loquitur, ut vel tardissimo cuique facilis sit ad intelligendum idemque animi quandam elationem sentiat: concinnitas quoque stili et gravitas incomparabilis est.

Iam vero per partes digesta sic se habent eius decreta: ignis elementum est ignisque vicissitudine constant omnia, tum raritate, tum densitate genita (Aperte vero nihil explicat). Fiuntque omnia per contrarietatem et fluminis in modum omnia fluunt. Finitumque est hoc universum et unus est mundus: isque ex igne

nascitur et rursus per quosdam ambitus conflagrat idque per vices in perpetuum: id autem fato fit. Ex his vero quae contraria sunt id quidem quod ad generationem adducit vocatur bellum et contentio; quod autem ad conflagrationem, concordia et pax. Mutatio quoque via est sursum deorsumque ducens, secundum quam fit mundus.

Densatus quippe ignis liquescit coactusque aqua fit, concreta vero aqua in humum vertitur: et haec via est deorsum ducens. Humus ipsa denuo liquescit atque ex ea fit aqua, ex ea autem reliqua: ferme omnia enim ad evaporationem eam refert quae ex mari fit. Haec autem sursum ducens via est. Porro evaporationes ex terra fiunt et mari, alia quidem lucida et liquida, alia vero occulta. A lucidis ignis, a reliquis humor incrementa capit.

Aerem vero cuiusmodi sit non significat; sunt tamen scaphae per concavum ad nos conversae, in quibus convenientes evaporationes lucidas efficiunt flammam, quae sunt sidera. Est autem lucidissima calidissimaque solis flamma: namque astra a terra remotiora sunt atque ideo minus lucent minusque calefaciunt; luna, quae terrae vicinior est, non per liquidum locum defertur. Sol in suo splendore nulli admixtioni obnoxius durat et modico a nobis intervallo distat: ex eo igitur magis calefacit atque illustrat. Deficiunt item sol ac luna cum scaphae ad superiora vertuntur: menstruae figurae lunae fiunt, dum eius sensim vertitur scapha.

Dies item ac nox et menses et tempestates et anni, pluviae et venti et his similia secundum evaporationes varias fiunt. Nam lucida evaporatio in solis circulo inflammata diem facit, contraria vero efficit noctem: item ex lumine calor auctus aestatem efficit; ex tenebris humor abundans hiemem operatur. In hunc modum et de ceteris causis disputat. Enimvero de terra cuiusmodi sit nihil enuntiat, ac ne de scaphis quidem.

(După Diogenes Laertius, IX, 1).

Xenophanes

Xenophanes, Dexii sive, ut Apollodorus ait, Orthomenis filius, Colophonis natus est. Pulsus autem patria Zancle in Sicilia moratus est atque Catinae. Neminem audivit, ut nonnulli dicunt; secundum alios Bottonis Atheniensis auditor fuit; Archelaum audivit, ut alii asseverant. Atque, ut Sotion ait, Anaximandri aetate vixit. Scripsit autem carmine heroico, item elegias atque iambos contra Hesiodum atque Homerum, quae de diis dixere illis exprobrans. Ipse quoque sua canebat poemata.

Quattuor sunt, ut ait Xenophanes, rerum elementa, infiniti autem mundi iidemque mutabiles. Nubes consistunt cum vapores a sole excitati sursum feruntur easque in aerem elevant. Dei substantia est rotunda et globosa nihilque

cum homine habet commune; totum cernit totumque audit, non tamen respirat; denique omnibus suis partibus et mens est et prudentia atque aeternitas. Quidquid nascitur, idem interire debet; item anima spiritus est, etiam pleraque inferiora mente sunt: haec primus Xenophanes pronuntiavit.

(După Diogenes Laertius, IX, 2)

Anaxagoras

Anaxagoras, Hegesibulo sive Eubulo patre natus, Clazomenius, Anaximenis fuit auditor. Primus materiae, quam hylen appellant, mentem praefecit principium operis suavi et magnifica oratione scripti hoc faciens: « Confusa erant omnia: deinde accessit mens eaque composuit ». Quamobrem et mens nūc cognominatus est. In Xerxis transitu annum aetatis vicesimum egit vixitque annos septuaginta duos.

Philosophari Athenis coeperat vicesimo aetatis anno; ubi et triginta annos commoratus est. Sol, secundum Anaxagoram, est massa ignis candentis et Peloponneso maior. Luna habitacula in se habet et colles et valles. Principia sunt particulae similes inter se; ut enim ex ramentis aurum constat, ita ex tenuibus corporibus inter se similibus universum conflatum est. Mens initium est motus: et gravia corpora inferiorem locum, ut terra, leviora superiorem obtinuerunt, ut ignis: medius aeri atque humori distributus est. Ita enim super terrae latitudinem mare subsistit, quoniam humores a sole in vaporem conversi sunt. Sidera principio quidem in formam tholi ferri solita sunt; itaque secundum terrae verticem is qui semper apparet polus versatur, postea vero inclinationem accepit. Lacteus orbis reflexus est astrorum solis radiis non illustratorum. Cometae errantium stellarum sunt concursus, flammam ex se emittentium; stellae discurrentes veluti scintillae ab aere vibrantur. Ventus fit cum aer a sole tenuatur. Tonitrua nubium sunt collisio, fulgura confratio nubium, terrae motus subreptio aeris in terram. Animantes primo ex humore et calore terrae manarunt, postea ex se invicem natae sunt, mares a dextris, feminae a sinistris partibus.

(După Diogenes Laertius, II, 3)

Empedocles

Empedocles, ut ait Hippobotus, Metonis, filii Empedoclis, filius fuit, Agrigentinus. Empedoclis avus insignis fuit vir, ut Timaeus in decimo quinto Historiarum libro refert. Item, secundum Heraclidem, Empedocles clara ex familia natus est. Quod autem Agrigentinus ex Sicilia fuerit, ipse refert:

« O socii ingentem flavas Acragantis ad undas
Urbem qui colitis munitam arce. »

Audivit autem, ut ait Timaeus, Pythagoram et, quod doctrinam divulgasset, consortio exclusus est. At, secundum Hermippum, Xenophanis fuit Empedocles imitator, quocum diu versatus cuiusque carmina imitatus esset; postmodum autem Pythagoreis congressus est. Et medicus oratorque optimus. Gorgias enim Leontinus ipsius fuit discipulus, vir in oratoria insignis, qui et artem rhetoricam scripsit. Fuit vero is imprimis liber atque ab omni imperandi fastu remotissimus, siquidem oblatum sibi regnum recusavit, simplicitatem vitae carius amplectens.

Haec autem erant eius placita: «Elementa sunt quattuor, ignis, aqua, terra, aer; amicitiaque qua foederantur et discordia qua dissident». Est quippe aeternus, secundum illum, hic rerum ordo. Sol est ignis ingens massa lunaque maior; luna autem disci habet similitudinem, caelum ipsum crystalli obtinet speciem. Et anima omnigenum animalium et plantarum species induitur. Quae igitur ille de natura rerum deque expiationibus scripsit ad quinque millia versuum pertingunt; quae vero de medicina ad sescentos.

(După Diogenes Laertius, VIII, 2).

Leucippus

Leucippus Eleates sive, ut aliis placet, Abderites, aut secundum nonnullos Milesius. Hic Zenonis auditor fuit.

Leucippi autem doctrina haec est: infinita sunt omnia et in se ipsa invicem commutantur. Item universum inane est plenumque corporibus. Mundique fiunt corporibus in hoc inane incidentibus et invicem implicatis, atque ex motu secundum illorum incrementa natura siderum fit. Sol iuxta lunam maiorem in orbem fertur: terra vehitur ac circa medium vertitur; figuraque illius tympano similis est.

Atomi principia sunt, ut Leucippus primus statuit. Summatim ista illi visa sunt, sed sunt explicanda per partes. Universum quidem infinitum huius pars plena est, pars inanis. Etiam elementa statuit: mundi ex eis infiniti sunt et in illa dilabuntur atque dissolvuntur. Gignuntur vero mundi in hunc modum: feruntur per abscissionem ex infinito multa corpora figuris omnigena in magnum vacuum, eaque in unum coacta unam vertiginem efficiunt, cuius impetu impacta modisque omnibus circumvoluta ita discernuntur, ut seorsum similia quae sunt sui similia petant. Ceterum aequilibrata quoniam ob multitudinem minime iam circumferri possunt, exilia quidem ad exterius vacuum contendunt, quasi cribro excussa; cetera considunt et innexa atque in se implicata invicem concurrunt, atque ea concursione prius quandam concretionem efficiunt rotundam. Haec autem veluti membrana subsistit, continens in se omnigena corpora: quae dum secundum medii reluctance circumvolvuntur, tenuis quae circa est membrana fit, quia confluunt semper corpora perpetua secundum vertiginis attactum: atque ita orta est terra, commanentibus quae semel in medium iniecta erant.

Ipsamque rursus continens membranae instar augetur secundum externorum influentiam corporum; et cum vertigine fertur, quaecumque attigerit ea acquirit.

Ex his quaedam complicata concretionem faciunt, primo quidem humidam ac luteam, exsiccata et circumacta cum totius vertigine; deinde incensa et ignita siderum efficiunt naturam. Est autem solis circulus extimus, lunae vero terrae proximus; cetera in medio horum posita sunt. Ac sidera quidem omnia ob celebritatem motus ignescunt, sol vero inflammatur a sideribus; luna autem exiguum ignis partem capit. Sol lunaque deficiunt quod terra ad meridiem vergit; quae ad septentrionem sunt nivibus semper urgentur et pruinis algent in glaciemque conrescunt. Ac sol quidem raro deficit, luna vero frequenter, quod sunt impares eorum orbis. Enimvero ut generationes mundi, ita et incrementa sunt et diminutiones secundum quandam necessitatem; quae cuiusmodi sit non declarat.

(După Diogenes Laertius, IX, 6).

Democritus

Democritus Hegesistrati, sive secundum alios Athenocriti vel, ut alii tradunt, Damasippi filius Abderites, sive, ut nonnulli putant, Milesius. Magos autem quosdam et Chaldaeos audivit, quos Xerxes rex patri illius praeceptores, quo tempore apud illum devertit, reliquerat, ut etiam refert Herodotus; a quibus et theologiam et astrologiam didicit, cum adhuc puer esset. Postmodum vero Leucippum convenit et secundum quosdam Anaxagoram, cum annis quadraginta iunior quam ille esset. Democritus etiam in Aegyptum contendit ad sacerdotes, geometriam accepturus, et ad Chaldaeos et in Persidem atque ad Rubrum mare, ut Demetrius et Anthisthenes tradunt. Et Gymnosophistis in India congressus est atque in Aethiopiam venit, secundum alios. Ille Athenas quoque venit atque ob despectum gloriae agnosci noluit: et cognovit quidem Socratem, sed in eius notitiam non venit, ut Demetrius putat. «Veni enim Athenas, inquit, et me nemo cognovit».

Didicerat et naturalia et moralia, verum etiam mathematica et liberales disciplinas artiumque omnem peritiam callebat. Huius illud est: «Quod dicimus est umbra eorum quae facimus». Redux ex peregrinatione humillime vixit, quippe qui omnem rem suam consumpserat: atque a Damaso fratre propter summam inopiam nutritus fuit. Ubi vero futura quaedam praedixerat sequensque rerum eventus famam ei conciliaverat, divinis iam honoribus dignus a plerisque iudicatus est. Quietissime ac minimo dolore conclusit vitam centesimo et nono aetatis anno.

Sunt autem eius placita haec: Principia omnium sunt atomi atque inane, cetera cuncta in opinione sita sunt. Infiniti sunt mundi, generationi et corruptioni obnoxii. Nihil ex eo quod non est fit, neque in id quod haudquaquam est corrumpitur. Atomi praeterea et magnitudine et numero sunt infinitae ferunturque in

toto ac rotantur. Atque ita concretiones omnes gignuntur, ignis, aqua, aer, terra: quippe et haec ex atomis quibusdam constant, suntque passioni et immutationi ob firmitatem ac soliditatem minime obnoxia. Sol item et luna ex huiusmodi levibus et rotundis massis est composita, animaue similiter, quae idem est quod mentem dicit. Cernimus nos quia incidunt in obtutus nostros rerum imagines. Cunctaque secundum necessitatem fiunt, cum sit vertigo causa generationis omnium, quam necessitatem dicit. Finis vero est rectus quietusque animi status, quam euthymiam vocat, quae non idem est quod voluptas, ut quidam male intelligentes acceperunt, verum secundum quam animus magna tranquillitate constantiaque beatus est, dum nullo metu, nulla superstitione aut alia quavis perturbatione agitur. Ius et fas ab hominibus factum, natura vero est atomi atque inane.

(După Diogenes Laertius, IX, 7).

Aristoteles

Aristoteles, Nicomachi Phaestidisque filius, Stagirites fuit. Porro Nicomachus a Nicomacho, Machaonis filio Aesculapiique nepote, originem duxit, ut Hermippus in eo libro quem de Aristotele scripsit tradit. Convixit autem Amyntae, Macedonum regi, medicinae et amicitiae gratia.

Aristoteles inter omnes Platonis discipulos maxime excelluit: lingua balbus, etiam exilibus cruribus parvisque oculis fuit, veste insigni et anulis ac tonsura utens. Recessit a Platone dum ille adhuc viveret. Cum Atheniensium legatus ad Philippum proficisceretur Aristoteles, Academicae scholae praefectus fuit Xenocrates; cum vero reversus esset scholamque sub alio vidisset, elegit in Lyceo peripatum (ambulacrum) illicque deambulando cum discipulis philosophari solebat, atque inde Peripateticus appellatus est. Ad propositam quaestionem discipulos una exercebat, simul et rhetorum more eos docens.

Deinde ad Hermiam, Atarnensium tyrannum, profectus est. Hinc in Macedonia apud Philippum vixit atque ab eo Alexandrum filium erudiendum accepit. Cum autem Athenas profectus illic tredecim annos scholae praefuisset, clam Chalcidem concessit; hic mortuus est sexagesimo tertio aetatis anno.

Conscripsit autem plurima volumina; cuius doctrinam hic summam exponam: duplex est philosophiae ratio, altera practica, altera theoretica: ad practica pertinent Ethice et Politice, qua in parte tum de publica, tum de familiari re agitur; ad theoretica Physice et Logice referuntur, e quibus Logica non summam, sed velut omnium disciplinarum instrumentum diligentissime exposita est. Eius cum geminum finem subiecisset, verisimile ac verum explicuit.

In descriptione rerum naturalium praeter ceteros maxime in rerum causas perscrutando versabatur, adeo ut minimarum quarumque rerum reddiderit

causas. Unde et naturalium commentariorum non pauca scripsit volumina. Multa eiusmodi et alia et de aliis multis in hunc modum philosophatus est. Huius autem Stagiritae philosophi multi fuere discipuli, sed omnibus maxime praecelluit Theophrastus.

(După Diogenes Laertius, V, 1)

Epicurus

Epicurus, Neoclis et Chaerestratae filius, patria Atheniensis, ex Philaidarum familia, ut Metrodorus refert. Hic tum cum Athenienses Samum colonos miserant illic nutritus est, atque octavum et decimum agens aetatis annum Athenas concessit, quo tempore Xenocrates in Academia, Aristoteles vero Chalcide scholam habebant. Post mortem Alexandri Macedonum regis Colophonem se ad patrem contulit: ubi cum aliquamdiu commoratus esset congregassetque discipulos Athenas iterum rediit, ibique ad aliquod tempus cum ceteris in commune philosophatus est, deinde seorsum sectam a se vocatam constituit. Diem obiit Athenis, cum septuaginta et duos vitae implesset annos.

Scripsit autem Epicurus plurima: volumina enim ad trecenta sunt, ex quibus ista vel optima de natura triginta et septem, de atomis et inani, etc. Epitomen autem illorum operum tres eius epistolae continent, prima ad Herodotum, secunda ad Pythoclem, tertia ad Menoeceum), in quibus omnem philosophiam suam breviter collegit. In epistula ad Herodotum haec scribit de rebus naturalibus: «Ipsum universum est corpus; id huiusmodi semper fuit quale nunc est, semperque tale erit: nihil est enim in quod mutari possit. Nam praeter ipsum universum nihil est quod in id ingressum mutationem operetur.

Corpora alia quidem sunt concretiones, alia vero ex quibus concretiones factae sunt. Atque haec individua sunt et immutabilia, si quidem omnia in id quod non est interitura non sunt; ceterum in dissolutione concretionum subsistere valent, cum plena natura utantur et non habeant quorsum aut quo pacto solvi possint. Itaque principio necesse est individuas esse corporum naturas. Verum omne istud infinitum est: nam quod finitum est extremum habet; extremum autem alius cuiuspiam comparatione inspicitur. Itaque, cum extremum non habeat, neque finem; cum autem finem non habeat, infinitum sit necesse est, non finitum. Atqui et multitudine corporum et vacui magnitudine omne istud infinitum est: sive enim esset infinitum vacuum et corpora finita, nusquam manerent corpora, sed ferrentur per infinitum inane dispersa, cum non haberent quae sustinerent ipsa atque repellerent secundum retusiones; sive vacuum finitum esset, non haberent infinita corpora ubinam subsisterent.

Moventur perpetuo atomi; atque illae quidem longe a se invicem distant, aliae vero agitationem ipsam continent, cum fuerint ad complexionem inclinatae sive ab iis quae ad complexiones feruntur contextae fuerint. Nam vacui

natura quae illas singulas dirimit hoc efficit, quandoquidem firmitatem sive affixionem facere ipsa non potest; solidumque quod illis inest per collisionem agitationem facit in quantum complexio illa ex collisione restitutionem dat. Horum autem principium non est, cum atomi et inane causae sint.

Mundi item infiniti sunt, sive huic similes sive qui dissimiles sunt: namque atomi cum infinitae sint, etiam longissime feruntur; neque enim consumptae sunt huiusmodi atomi, ex quibus fiat mundus sive a quibus effectus sit, neque in unum neque in definitos neque in similes huic neque in differentes: nihil igitur est quod mundorum infinitatem impediatur.

(După Diogenes Laertius, X)

Elogiul filozofiei

O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti; ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis, quae et vitae tranquillitatem largita nobis es et terrorem mortis sustulisti? Ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de hominum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem et hoc parricidio se inquinare audet et tam impie ingratus esse, ut eam accuset quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos a quibus vita hominum instructa primis sit fuisse philosophos arbitrantur.

(Cicero, *Tusc.*, V, 5—6)

Portretul înțeleptului

Sumatur enim nobis quidam praestans vir optumis artibus, isque animo parumper et cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit necesse est; tardis enim mentibus virtus non facile comitatur; deinde ad investigandam veritatem studio incitato. Ex quo triplex ille animi fetus existet, unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae, alter in discriptione expetendarum fugiendarumve rerum et in ratione vivendi, tertius in iudicando quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, in quo inest omnis cum subtilitas disserendi, tum veritas

iudicandi. Quo tandem igitur gaudio adfici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis! ut cum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixis sedibus, septem alia suos quaeque tenere cursus multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant. Horum nimirum aspectus impulit illos veteres et admonuit ut plura quaerent. Inde est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta, quaeque cuiusque generis vel inanimi vel animantis vel muti vel loquentis origo, quae vita, qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio, unde terra et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur, qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expetant, qui est idem infimus in rutundo.

(Cicero, *Tusc.*, V, 68—69)

Conceptia primilor filozofi materialisti greci despre zei

Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si di possunt esse sine sensu et mente, cur aquae mentem, menti autem cur aquam adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? Anaximandri autem opinio est nativos esse deos longis intervallis orientis occidentisque; eosque innumerabiles esse mundos. Sed nos deum nisi sempiternum intellegere qui possumus? Post Anaximenes aëra deum statuit, eumque gigni esseque inensum et infinitum et semper in motu; quasi aut aër sine ulla forma deus esse possit, cum praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse, aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum discriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione dissignari et confici voluit; in quo non vidit neque motum sensui iunctum et continentem in infinito ullum esse posse neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. Deinde si mentem istam quasi animal aliquod voluit esse, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur; quid autem interius mente? cingatur igitur corpore externo.

(Cicero, *De nat. deor.*, I, 25—26)

Conceptia lui Epicur despre zei

Epicurus, qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet ut manu, docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis cum infinita simillarum imaginum

series ex innumerabilibus individuīs existat et ad nos adfluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna.

Summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione dignissima est, in qua intellegi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. Hanc appellat Epicurus aequalemtributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem et, si quae interimant, innumerabilia sint, etiam ea quae conservent infinita esse debere.

Et quaerere a nobis soletis quae vita deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute gaudet, habet exploratum fore semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. Hunc deum rite beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimus. Sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem nihil beatum est; sive in ipso mundo deus inest aliquis qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria contemplanis hominum commoda vitasque tueatur, ne ille est implicatus molestis negotiis et operosis! Nos autem beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum ponimus.

Docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum, nihil opus fuisse fabrica, tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negatis sine divina posse sollertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. Quod quia quem ad modum natura efficere sine aliqua mente possit non videtis, ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum; cuius operam profecto non desideraretis si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis, in quam se iniciens animus et intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quae interiecto inani cohaerescunt tamen inter se et aliae alias adprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur eae rerum formae et figurae, quas vos effici posse sine folilibus et incudibus non putatis.

Itaque imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem curiosum et plenum negotii deum? Hinc vobis extitit primum illa fatalis necessitas, ut quicquid accidat id ex aeterna veritate causarumque continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui tamquam aniculis, et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia? Sequitur illa quae Latine divinatio dicitur, qua tanta

imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut haruspices, augures, harioli, vates coniectores nobis essent colendi.

His terroribus ab Epicuro soluti et in libertatem vindicati nec metuimus eos quos intellegimus, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere, et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem.

(Cicero, *De nat. deor.*, I, 49—56).

Concepția lui Epicur despre moarte, despre durere și despre bogăție

Quid? is tibi mortemne videtur aut dolorem timere qui eum diem quo moritur beatum appellat maxumisque doloribus affectus eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur? De morte enim ita sentit, ut dissoluto animante sensum extinctum putet, quod autem sensu careat, nihil ad nos id iudicet pertinere. Item de dolore certa habet quae sequatur, cuius magnitudinem brevitatem consolatur, longinquitatem levitate. Qui tandem isti grandiloqui contra haec duo quae maxime angunt melius se habent quam Epicurus? An ad cetera quae mala putantur non et Epicurus et reliqui philosophi satis parati videntur? Quis non paupertatem extimescit? Neque tamen quisquam philosophorum.

Hic vero ipse quam parvo est contentus! Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim, quae res pecuniae cupiditatem adferunt, ut amor, ut ambitioni, ut cotidianis sumptibus copiae suppetant, cum procul ab his omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret vel potius cur curet omnino?

(Cicero, *Tusc.*, V, 88—89)

Invățătura lui Epicur despre plăcere și durere

Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviserit, non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen, partim esse naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim neutrum; necessarias satiari posse paene nihilo; divitias enim naturae esse parables; secundum autem genus cupiditatum nec ad potiendum difficile esse censeat nec vero ad carendum; tertias, quod essent plane inanes neque necessitatem modo, sed ne naturam quidem attingerent, funditus eiciendas putavit. Hoc loco multa ab Epicureis disputantur, eaeque voluptates singillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen copiam. Nam et obscenas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, facilis, communis, in medio sitas esse dicunt, easque si natura requirat, non genere aut loco aut ordine, sed forma, aetate, figura metiendas putant, ab iisque abstinere minime esse difficile, si aut valetudo aut officium aut fama postulet,

omninoque genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit, prodesse numquam. Totumque hoc de voluptate sic ille praecipit, ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper optandam expetendamque putet, eademque ratione dolorem ob id ipsum, quia dolor sit, semper esse fugiendum; itaque hac usurum compensatione sapientem, ut et voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat maiorem efficientem voluptatem, omniaque iucunda, quamquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen. Quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret voluptatem, animum et praesentem percipere pariter cum corpore et prospicere venientem nec praeteritam praeterfluere sinere. Ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, cum expectatio speratarum voluptatum cum perceptarum memoria iungeretur.

(Cicero, *Tusc.*, V, 93—96)

Conceptiile filozofilor greci despre moarte și despre suflet

Sunt qui discessum animi a corpore putant esse mortem; sunt qui nullum censent fieri discessum, sed una animum et corpus occidere animumque in corpore extinguī. Qui discedere animum censent, alii dissipari, alii diu permanere, alii semper. Quid sit porro ipse animus aut ubi aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur.

Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem; aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere; aliis nec cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse animum, sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum: animus autem alii animam, ut fere nostri — declarat nomen; nam et agere animam et efflare dicimus et animosos et bene animatos et ex animi sententia; ipse autem animus ab anima dictus est.

Zenoni Stoico animus ignis videtur. Sed haec quidem, quae dixi, cor, cerebrum, animam, ignem vulgo; reliqua fere singuli, ut multo ante veteres, proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur; sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri tamquam in cantu sonos . . .

Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse ullum, numerum dixit esse, cuius vis, ut iam ante Pythagorae visum erat, in natura maxima esset. Eius doctor Plato triplicem finxit animum, cuius principatum, id est rationem, in capite sicut in arce posuit, et duas partes parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis discluit: iram in pectore, cupiditatem sup̄ter praecordia locavit.

Dicaearchus autem nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustra animalia et animantes appellari, neque in homine inesse animum vel animam nec in bestia, vimque omnem eam qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam nec separabilem a corpore

esse, quippe quae nulla sit nec sit quicquam nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat.

Aristoteles, longe omnibus praestans et ingenio et diligentia, cum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus e quibus omnia orerentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens; . . . quintum genus adhibet vacans nomine et sic ipsum animum entelechiam appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem.

Nisi quae me forte fugiunt, hae sunt fere de animo sententiae. Democritum enim, magnum quidem illum virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus; nihil est enim apud istos quod non atomorum turba conficiat. Harum sententiarum quae veri simillima sit, magna quaestio est. Efficiet enim ratio ut, quaecumque vera sit earum sententiarum quas exposui, mors aut malum non sit aut sit bonum potius.

Nam si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore; si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, extinguetur; si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur; non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiae spem adferunt posse animos, cum e corporibus excesserint, in caelum quasi in domicilium suum pervenire.

(Cicero, *Tusc.*, I, 18—24)

Adevărata fericire a înțeleptului

Iam vero motus animi, sollicitudines aegritudinesque oblivione leniuntur traductis animis ad voluptatem. Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quaerimus, ut sapiens semper beatus sit. Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiam; nam ista ipsa contemnit. Primum enim horribilis ista caecitas quibus tandem caret voluptatibus? cum quidam etiam disputent ceteras voluptates in ipsis habitare sensibus; quae autem aspectu percipiantur, ea non versari in oculorum ulla iucunditate, ut ea quae gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur. In oculis tale nil fit; animus accipit, quae videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiamsi non adhibeatur aspectus. Loquor enim de docto homine et erudito cui vivere est cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos.

Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat, at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat, et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat.

Atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum arbitrabatur, et cum alii saepe quod ante pedes esset non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse; at eius picturam, non poësin videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formae pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut quae ipse non viderit, nos ut videremus effecerit? Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur? Aut, ni ita se res haberet, Anaxagoras aut hic Democritus agros et patrimonia sua reliquissent, huic descendendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dedissent?

(Cicero, *Tusc.*, V, 110—111, 114—115)

Filozofii disprețuiesc bogățiile

Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem hoc animo esse potuerunt. Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, « Quam multa non desidero! » inquit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxuma, abduxit legatos ad cenam in Academiam; iis apposuit tantum quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum cui numerari iuberet: « Quid? vos hesterna », inquit, « cenula non intellexistis me pecunia non egere? » Quos cum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti ut diceret si quid opus esset. « Nunc quidem paululum », inquit, « a sole ». Offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret; sibi nihil deesse, illi nihil satis umquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset, suas eum consequi nullo modo posse.

(Cicero, *Tusc.*, V, 90—92)

Devotamentul înțeleptului față de patrie

Sapiens nullum pro re publica periculum vitabit, ideo quod saepe fit, ut, cum pro re publica perire noluerit, necesse erit cum re publica pereat, et quoniam omnia sunt commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Ergo qui fugiunt id periculum quod pro re publica subeundum est, stulte faciunt. Nam neque effugere in commodapossunt et ingrati in civitatem reperiuntur. At, qui patriae pericula suo periculo exspectant, hi sapientes putandi sunt, cum et eum, quem debent, honorem rei publicae reddunt et pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim vehementer est iniquum

vitam, quam a natura acceptam propter patriam conservaris, naturae cum cogat reddere, patriae cum roget non dare, et, cum possis cum summa virtute et honore pro patria interire, malle per dedecus et ignaviam vivere; pro amicis et parentibus et ceteris necessariis adire periculum, pro re publica, in qua et haec et illud sanctissimum patriae nomen continetur, nolle in discrimen venire. Ita uti contemnendus est, qui in navigio navem quam se mavult incolumen, item vituperandus, qui in rei publicae discrimine suae plus quam communi saluti consulit. Navi enim fracta multi incolumes fugerunt; ex naufragio patriae salvus nemo potest enatare. Quod mihi bene videtur Decius intellexisse, qui se devovisse dicitur et pro legionibus in hostes immississe medios; unde amisit vitam, at non perdidit. Re enim vilissima et parva maximam redemit. Vitam dedit, accepit patriam; amisit animam, potius est gloriam, quae cum summa laude prodita vetustate cotidie magis enitescit. Quodsi pro re publica decere accedere periculum et ratione demonstratum est et exemplo comprobatur, ii sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriae periculum vitant.

(Cicero, *Ad Herenn.*, IV, 57)

Scopul ultim al omului

In his primis naturalibus voluptas insit necne, magna quaestio est. Nihil vero putare esse praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, summae mihi videtur inscitiae. Atque ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt, quae paulo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est virtute adhibita frui primis a natura datis. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem, Diodorus vacuitatem doloris. His omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum, Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturae, quod esse volunt e virtute, id est honeste, vivere, quod ita interpretantur: vivere cum intellegentia rerum earum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reicientemque contraria.

(Cicero, *De fin.*, II, 34)

D. TEXTE JURIDICE

Dreptul natural, dreptul popoarelor și dreptul civil

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque feminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio et educatio...

Sed ius quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Atheniensium; nam si quis velit Solonis vel Draconis leges appellare ius civile Atheniensium, non erraverit. Sic enim et ius, quo populus Romanus utitur, ius civile Romanorum appellamus, vel ius Quiritium, quo Quirites utuntur; Romani enim a Quirino Quirites appellantur. Sed quotiens non addimus, cuius sit civitatis, nostrum ius significamus: sicuti cum poetam dicimus nec addimus nomen, subauditur apud Graecos egregius Homerus, apud nos Vergilius. Ius autem gentium omni humano generi commune est. Nam usu et humanis necessitatibus gentes humanae quaedam sibi constituerunt; bella etenim orta sunt et captivitates secutae et servitutes, quae sunt iuri naturali contrariae. Iure enim naturali ab initio omnes homines liberi nascebantur. Ex hoc iure gentium et omnes paene contractus introducti sunt, ut emptio venditio, locatio conductio, societas, depositum, mutuum et alii innumerabiles.

Sed naturalia quidem iura, quae apud omnes gentes peraeque servantur, divina quadam providentia constituta semper firma atque immutabilia permanent; et vero, quae ipsa sibi quaeque civitas constituit, saepe mutari solent vel tacito consensu populi vel alia postea lege lata.

(Iustinianus, *Instit.*, I, 2),

Izvoarele dreptului roman

Omnes populi qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur; nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium est vocaturque ius civile, quasi ius pro-

prium civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. Populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur.

Constant autem iura populi Romani ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus principum, edictis eorum qui ius edicendi habent, responsis prudentium.

Lex est quod populus iubet atque constituit. Plebiscitum est quod plebs iubet atque constituit. Plebs autem a populo eo distat, quod populi appellatione universi cives significantur; plebis autem appellatione sine patriciis ceteri cives significantur: unde olim patricii plebiscitis non tenebantur, quia sine auctoritate eorum facta erant; sed postea lex Hortensia lata est, qua plebiscita universum populum tenebant: itaque eo modo legibus exaequata sunt. Senatusconsultum est quod senatus iubet atque constituit idque legis vicem obtinet. Constitutio principis est quod imperator decreto vel edicto vel epistula constituit. Edicta sunt praecepta eorum qui ius edicendi habent. Ius autem edicendi habent magistratus populi Romani; sed amplissimum ius est in edictis praetorum duorum, urbani et peregrini, quorum in provinciis iurisdictionem praesides earum habent; item in edictis aedilium curulium, quorum iurisdictionem in provinciis populi Romani quaestores habent; nam in provinciis Caesaris quaestores omnino non mittuntur et ob id hoc edictum in his provinciis non proponitur. Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum est iura condere.

(Gaius, *Instit.* I, 1).

Condiția persoanelor

Omnes homines aut liberi sunt aut servi. Rursus liberorum hominum alii ingenui sunt, alii libertini. Ingenui sunt qui liberi nati sunt; libertini, qui ex iusta servitute manumissi sunt.

Sequitur de iure personarum alia divisio. Nam quaedam personae sui iuris sunt, quaedam alieno iuri subiectae sunt. Rursus earum personarum, quae alieno iuri subiectae sunt, aliae in potestate, aliae in manu, aliae in mancipio sunt. Videmus prius de iis quae alieno iuri subiectae sunt. Ac prius dispiciamus de iis qui in aliena potestate sunt.

In potestate itaque sunt servi dominorum. Quae quidem potestas iuris gentium est; nam apud omnes peraeque gentes dominis in servos vitae necisque potestas est; et quodcumque per servum acquiritur, id domino acquiritur. Sed hoc tempore neque civibus Romanis, nec ullis aliis hominibus, qui sub imperio populi Romani sunt, licet supra modum et sine causa in servos saevire: nam, secundum constitutionem imperatoris Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus tenebitur, quam qui alienum servum occiderit. Sed et maior

quoque asperitas dominorum per eiusdem principis constitutionem coercetur; nam consultus a quibusdam praesidibus provinciarum de his servis, qui ad fana deorum vel ad statuas principum confugiunt, praecepit ut, si intolerabilis videatur dominorum saevitia, cogantur servos suos vendere. Et utrumque recte fit; male enim nostro iure uti non debemus; qua ratione et prodigis interdicatur bonorum suorum administratio.

Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos iustis nuptiis procreavimus. Quod ius proprium civium Romanorum est: fere enim nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem, qualem nos habemus. Idque divus Hadrianus edicto, quod proposuit de his, qui sibi liberisque suis ab eo civitatem Romanam petebant, significavit.

(Gaius, *Instit.* 9—11, 48—53, 55).

Oameni liberi și sclavi

Libertas quidem est, ex qua etiam liberi vocantur, naturalis facultas eius quod quique facere libet, nisi si quid aut vi aut iure prohibetur. Servitus autem est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. Servi autem ex eo appellati sunt, quod imperatores captivos vendunt ac per hoc servare nec occidere solent. Qui etiam mancipia dicti sunt, quod ab hostibus manu capiuntur. Servi autem aut nascuntur aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris; fiunt aut iure gentium, id est ex captivitate, aut iure civili, cum homo liber maior viginti annis sese venumdari passus est. In servorum conditione nulla differentia est. In liberis multae differentiae sunt; aut enim ingenui sunt aut libertini.

(Iustinianus, *Instit.*, I, 3)

Libertii

Libertini sunt, qui ex iusta servitute manumissi sunt. Manumissio autem est datio libertatis; nam quamdiu quis in servitute est, manui et potestati suppositus est, et manumissus liberatur potestate.

Multis autem modis manumissio procedit; aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis ecclesiis aut vindicta aut inter amicos aut per epistolam aut per testamentum aut aliam quamlibet ultimam voluntatem. Sed et aliis multis modis libertas servo competere potest, qui tam ex veteribus quam nostris constitutionibus introducti sunt. Servi vero a dominis semper manumitti solent; adeo ut vel in transitu manumittantur, veluti cum praetor aut proconsul aut praeses in balneum vel in theatrum eat.

Libertinorum autem status tripartitus antea fuerat; nam qui manumittebantur, modo maiorem et iustam libertatem consequerentur et fiebant cives

Romani, modo minorem et Latini ex lege Iunia Norbana fiebant, modo inferiorem et fiebant ex lege Aelia Sentia dediticiorum numero. Sed dediticiorum quidem pessima condicio iam ex multis temporibus in desuetudinem abiit. Latinorum vero nomen non frequentabatur; ideoque nostra pietas omnia augere et in meliorem statum reducere desiderans in duabus constitutionibus hoc emendavit et in pristinum statum reduxit, quia et a primis urbis Romae cunabulis una atque simplex libertas competebat, id est eadem, quam habebat manumissor, nisi quod scilicet libertinus fit qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit.

(Iustinianus, *Instit.*, I, 5)

Situația juridică a libertilor

Liberti aut cives Romani sunt, aut Latini, aut dediticii. Tamen, qui cives Romani sint, qui Latini, qui dediticii, breviter explanandum est. Cives Romani sunt, qui his tribus modis, id est testamento aut in ecclesia aut ante consulem fuerint manumissi. Latini sunt, qui aut per epistolam aut inter amicos aut convivii adhibitione manumittuntur. Dediticii vero sunt, qui post admissa crimina suppliciis subditi et publice pro criminibus caesi sunt, aut in quorum facie vel corpore quaecumque indicia aut igne aut ferro impressa sunt, et ita impressa sunt, ut deleri non possint. Hi si manumissi fuerint, dediticii appellantur. Sed inter haec tria genera libertatum ideo cives Romani meliorem statum habent, quia et testamenta facere et ex testamento quibuscumque personis succedere possunt: nam Latini et dediticii nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum possunt ullatenus vindicare. Tamen Latini certis rebus privilegium civium Romanorum libertatem consequi possunt. Dediticii vero nulla ratione possunt ad civium Romanorum libertatem ordinis beneficio pervenire. Nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis aut testamento aut in ecclesia aut ante consulem manumittantur civium Romanorum privilegium consequuntur.

(Gaius, *Instit. Epitome*, I)

Eliberarea sclavilor

Constitutum est, quantum servorum numerum testamento de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine: ut, si quis duo servos habet, ambos manumittere possit; qui vero tres, duos testamento manumittat; qui quattuor, similiter duos; qui sex, tres; qui octo, quattuor; qui decem, quinque; qui undecim, duodecim, tredecim, quattuordecim, quindecim, sedecim, decem et septem, similiter quinque; qui decem et octo, sex; et ab hoc numero usque ad triginta tertiam partem manumittere liceat; qui amplius quas triginta habuerit usque ad centum,

quartam partem de numero servorum manumittere potest; qui vero plures quam centum habuerit, quintam partem manumittere potest. Sed hoc statutum est, ut de qualibet grandi familia nulli amplius quam centum testamento manumittere liceat. Nam qui voluerit aut in ecclesia, aut ante consulem, aut inter amicos, aut per epistulam manumittere, potest his manumissionibus omnem familiam iugo servitutis absolvere. Nam si aliquis testamento plures manumittere voluerit, quam quot continet numerus supra scriptus, ordo servandus est, ut illis tantum libertas valeat, qui prius manumissi sunt, usque ad illum numerum, quem explanatio continet superius comprehensa: qui vero postea supra constitutum numerum manumissi leguntur, in servitute eos certum est permanere.

(Gaius, *Instit. Epitome*, II)

Căsătorie

Legitimae sunt nuptiae, si Romanus Romanam nuptiis vel consensu ducat uxorem. Sed non omnibus personis uxores ducere licet: quia nec patri filiam, nec filio matrem, nec avo neptem, nec nepoti aviam. Quod non solum de personis, quae nobis propinquitate coniunctae sunt, sed etiam de adoptivis iustum est observari: nam etsi per emancipationem adoptio dissolvatur, nuptiae tamen inter has personas semper sunt illicitae. Inter fratrem quoque et sororem, sive eodem patre ac matre nati fuerint, sive diversis matribus aut patribus, matrimonia esse non possunt. Inter adoptivos etiam fratres illicita sunt coniugia, nisi forte adoptio emancipatione fuerit dissoluta: nam si emancipatio intervenerit, nuptiae inter huiusmodi fratres licito contrahuntur. Fratris quoque et sororis filiam uxorem ducere non licet. Sororem quoque patris ac matris uxorem accipere non licet. Genero quoque socrum suam, nec socero nurum uxorem accipere licet, nec vitrico privignam, nec privigno novercam. Fratres enim amitinos vel consobrinos in matrimonium iungi nulla ratione permittitur. Sed nec uni viro duas sorores habere, nec uni mulieri duobus fratribus iungi permittitur.

(Gaius, *Instit. Epitome*, IV)

Adopțiunea

Non tantum naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptivi. Adoptio fit aut per populum aut per praetorem vel praesidem provinciae. Illa adoptio, quae per populum fit, specialiter adrogatio dicitur. Per populum qui sui iuris sunt adrogantur: per praetorem autem filii familiae a parentibus dantur in adoptionem. Adrogatio Romae dumtaxat fit, adoptio autem etiam in provinciis apud praesides. Per praetorem vel praesidem provinciae adoptari tam masculi quam feminae, et tam puberes quam impuberes possunt: per populum

vero Romanum feminae non adrogantur: pupilli antea quidem non poterant adrogari, nunc autem possunt ex constitutione divi Antonini. Hi qui generare non possunt, velut spado, utroque modo possunt adoptare. Idem iuris est in persona caelibis. Item is qui filium non habet in locum nepotis adoptare potest. Si pater familiae adrogandum se dederit, liberi quoque eius quasi nepotes in potestate fiunt adrogatoris. Feminae vero neutro modo possunt adoptare, quoniam nec naturales liberos in potestate habent.

(Ex corpore *Ulpiani*, VIII)

Tutela și curatela

Tutores constituuntur tam masculis quam feminis. Sed masculis quidem impuberibus dumtaxat propter aetatis infirmitatem, feminis autem tam impuberibus quam puberibus, et propter sexus infirmitatem et propter forensium rerum ignorantiam.

Tutores aut legitimi sunt aut senatus consultis constituti aut moribus introducti.

Legitimi tutores sunt, qui ex lege aliqua descendunt: per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim tabularum introducuntur, seu palam, quales sunt agnati, seu per consequentiam, quales sunt patroni. Agnati sunt a patre cognati virilis sexus per virilem sexum descendentes eiusdem familiae, veluti patrui, fratres, filii fratris, patruels. Qui liberum caput mancipatum sibi vel a parente vel a coemptionatore manumisit, per similitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciaris tutor appellatur. Legitimi tutores alii tutelam in iure cedere possunt. Is, cui tutela in iure cessa est, cessicius tutor appellatur. Qui sive mortuus fuerit sive capite minutus sive alii tutelam in iure cesserit, reddit ad legitimum tutorem tutela. Sed et si legitimus decesserit aut capite minutus fuerit, cessicia quoque tutela exstinguitur. Quantum ad agnatos pertinet, hodie cessicia tutela non procedit, quoniam permissum erat in iure cedere tutelam feminarum tantum, non etiam masculorum, feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustulit.

Legitima tutela capitis deminutione amittitur.

Lex Atilia iubet mulieribus pupillisve non habentibus tutores dari a praetore et maiore parte tribunorum plebis, quos tutores Atilianos appellamus. Sed quia lex Atilia Romae tantum locum habet, lege Iulia et Titia prospectum est, ut in provinciis quoque similiter a praesidibus earum dentur tutores.

Item ex senatus consulto tutor datur mulieri ei, cuius tutor abest, praeterquam si patronus sit qui abest. Idemque permisit in pupillo patroni filio. Hoc amplius senatus censuit, ut, si tutor pupilli pupillaeve suspectus a tutela submotus fuerit, vel etiam iusta de causa excusatus, in locum eius tutor alius detur.

Moribus tutor datur mulieri pupillove, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, ut auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest), qui praetorius tutor dicitur, quia a praetore urbis dari consuevit.

Pupillorum pupillarumque tutores et negotia gerunt et auctoritatem interponunt: mulierum autem tutores auctoritatem dumtaxat interponunt. Si plures sunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare praeter eos qui testamento dati sunt: nam ex his vel unius auctoritas sufficit.

Tutoris auctoritas necessaria est mulieribus quidem in his rebus: si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si civile negotium gerant, si libertae suae permittant in contubernio alieni servi morari, si rem mancipii alienent. Pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipii alienatione tutoris auctoritate opus est.

Liberantur tutela masculi quidem pubertate.

Curatores aut legitimi sunt, id est qui ex lege duodecim tabularum dantur, aut honorarii, id est qui a praetore constituuntur. Lex duodecim tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum. A praetore constituitur curator, quem ipse praetor voluerit, libertinis prodigis itemque ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti male dissipant bona: his enim ex lege curator dari non poterat, cum ingenuus quidem non ab intestato, sed ex testamento heres factus sit patri, libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum servilis cognatio nulla sit. Praeterea dat curatorem ei etiam, qui nuper pubes factus idonee negotia sua tueri non potest.

(*Ex corpore Ulpiani*, XI, XII)

Categoriile de bunuri

Modo videamus de rebus; quae vel in nostro patrimonio sunt vel extra nostrum patrimonium habentur.

Summa itaque rerum divisio in duos articulos diducitur: nam aliae sunt divini iuris, aliae humani. Divini iuris sunt veluti res sacrae et religiosae. Sacrae sunt quae diis superis consecratae sunt; religiosae quae diis Manibus relictas sunt. Sed sacrum quidem hoc solum existimatur quod ex auctoritate populi Romani consecratum est. Religiosum vero nostra voluntate facimus mortuum inferentes in locum nostrum, si modo eius mortui funus ad nos pertineat. Sed in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi Romani est vel Caesaris, nos autem possessionem tantum vel usumfructum habemus; utique tamen, quamquam non est religiosum, pro religioso habetur. Item quod in provinciis non ex auctoritate populi Romani consecratum est, proprie sacrum non est, tamen pro sacro habetur. Sanctae quoque res, velut muri et portae, quodam modo divini iuris sunt. Quod autem divini iuris est, id nullius in bonis est; id vero, quod humani iuris est, plerumque alicuius in bonis est: potest autem et nullius in bonis esse; nam res hereditariae, antequam aliquis heres existat, nullius in bonis sunt.

Magna autem differentia est inter mancipi res et nec mancipi. Nam res nec mancipi ipsa traditione pleno iure alterius fiunt, si modo corporales sunt et ob id recipiunt traditionem. Itaque si tibi vestem vel aurum vel argentum tradidero sive ex venditionis causa sive ex donationis sive quavis alia ex causa, statim tua fit ea res, si modo ego eius dominus sim. In eadem causa sunt provincialia praedia, quorum alia stipendiaria, alia tributaria vocamus. Stipendiaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae populi Romani sunt; tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae Caesaris sunt.

Mancipi vero res sunt, quae per mancipationem ad alium transferuntur; unde etiam mancipi res sunt dictae.

(Gaius, *Instit.* II 1—9, 18—22)

Succesiunea prin testament

Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex condicio est: nam vel ex testamento vel ab intestato ad nos pertinent. Et prius de his dispiciamus quae nobis ex testamento obveniunt.

Testamentorum autem genera initio duo fuerunt: nam aut calatis comitiis testamentum faciebant, quae comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est cum belli causa arma sumebant; procinctus est enim expeditus et armatus exercitus. Alterum itaque in pace et in otio faciebant, alterum in proelio exituri. Accessit deinde tertium genus testamenti, quod per aes et libram agitur. Qui neque calatis comitiis neque in procinctu testamentum fecerat, is si subita morte urgebatur, amico familiam suam, id est patrimonium suum, mancipio dabat, eumque rogabat quid cuique post mortem suam dari vellet. Quod testamentum dicitur per aes et libram, scilicet quia per mancipationem peragitur. Sed illa quidem duo genera testamentorum in desuetudinem abierunt; hoc vero solum, quod per aes et libram fit, in usu retentum est. Sane nunc aliter ordinatur, quam olim solebat. Namque olim familiae emptor, id est qui a testatore familiam accipiebat mancipio, heredis locum obtinebat, et ob id ei mandabat testator quid cuique post mortem suam dari vellet; nunc vero alius heres testamento instituitur, a quo etiam legata relinquuntur, alius dicis gratia propter veteris iuris imitationem familiae emptor adhibetur.

(Gaius, *Instit.* II, 99—103)

Succesiunea fără testament

Intestatorum hereditates ex lege XII tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerunt, veluti filius filiae, nepos neptisve ex filio, pronepos proneptisve ex nepote filio nato prognatus prognatave nec interest, utrum naturales sint liberi an adoptivi. Ita demum tamen nepos neptisve et pronepos proneptisve suorum heredum numero sunt, si praecedens persona desierit in potestate parentis

esse, sive morte id acciderit, sive alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per id tempus quo quisque moritur filius in potestate eius sit, nepos ex eo suus heres esse non potest. Idem et in ceteris deinceps liberorum personis dictum intellegemus. Uxor quoque quae in manu viri est ei sua heres est, quia filiae loco est. Item nurus quae in filii manu est, nam et haec neptis loco est. Sed ita demum erit sua heres, si filius, cuius in manu fuerit, cum pater moritur, in potestate eius non sit. Idemque dicemus et de ea quae in nepotis manu matrimonii causa sit, quia proneptis loco est. Postumi quoque sui heredes sunt.

Si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII tabularum ad agnatos. Vocantur autem agnati, qui legitima cognatione iuncti sunt. Legitima autem cognatio est ea, quae per virilis sexus personas coniungitur. Itaque eodem patre nati fratres agnati sibi sunt, qui etiam consanguinei vocantur, nec requiritur, an etiam matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio et invicem is illi agnatus est. Eodem numero sunt fratres patruales inter se, id est qui ex duobus fratribus progenerati sunt, quos plerique etiam consobrinos vocant. Qua ratione scilicet etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. Non tamen omnibus simul agnatis dat lex XII tabularum hereditatem, sed his qui proximo gradu sunt.

Si ei qui defunctus erit sit frater et alterius fratris filius, sicut ex superioribus intellegitur, frater potior est, quia gradu praecedit. Sed alia facta est iuris interpretatio inter suos heredes. Quodsi defuncti nullus frater exstet, sed sint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet; sed quaesitum est, si dispari forte numero sint nati, ut ex uno unus vel duo, ex altero tres vel quattuor, utrum in stirpes dividenda sit hereditas, sicut inter suos heredes iuris est, an potius in capita. Itaque quotquot erunt ab utraque parte personae, in tot portiones hereditas dividetur, ita ut singuli singulas portiones ferant.

Agnati capite deminuti non admittuntur ex ea lege ad hereditatem, quia nomen agnationis capitis deminutione perimitur. Item feminae agnae, quaecumque consanguineorum gradum excedunt, nihil iuris ex lege habent. Similiter non admittuntur cognati, qui per feminini sexus personas necessitudine iunguntur.

(Gaius, *Instit.*, III, 1—4, 9—11, 15—16, 21, 23—24)

Felurile obligațiilor

Obligatio in duas species dividitur; nam omnes obligationes aut ex contractu nascuntur aut ex culpa. Quae ex contractu nascuntur, quattuor genera sunt, quae singula hoc ordine distinguuntur: aut enim re contrahitur obligatio, aut verbis, aut litteris, aut consensu. Re contrahitur quoties aliqua cuicumque mutuo dantur, quae in his rebus contingunt, quae pondere, numero, mensura continentur; hoc est, si pecunia numeretur, vel frumentum detur, vinum aut oleum, aut aes, aut ferrum, argentum vel aurum. Quae omnia numerando aut pensando

aut metiendo ad hoc damus, ut eorum fiant, qui ea accipiunt, et ad nos statuto tempore non ipsae res, sed aliae eius naturae, quales datae sunt, atque ipsius ponderis, numeri vel mensurae, reddantur. Propter quod mutuum appellatum est, quasi a me tibi ita datum sit, ut ex meo tuum fieret. Verbis contrahitur obligatio ex interrogatione dantis et responsione accipientis, ita ut, si ille, qui dat interroget HOC MIHI DABIS? qui accipit, respondeat DABO... Sunt et aliae obligationes, quae contrahi possunt, id est, ut si mulier sive sponso uxor futura, sive iam marito, dotem dicat. Quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest. Litteris obligatio sit, aut a re in personam, aut a persona in personam. A re in personam, velut si id, quod ex emptione aut ex conductione, aut societate debes, alii reddas. A persona in personam, velut si id, quod mihi alter debet, alteri personae delegem, ut reddere debeat. Consensu fiunt obligationes ex emptionibus et venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus et mandatis; quia in huiusmodi rebus consensu magis quam scriptura aliqua aut solemnitas quaeritur. In quibus rebus etiam inter absentes obligatio contrahi potest, quod in aliis rebus fieri non potest. Emptio igitur et venditio contrahitur, cum de pretio inter emptorem et venditorem fuerit definitum, etiamsi pretium non fuerit numeratum, nec pars pretii aut arra data fuerit. Locatio et conductio simili ratione consistunt, ut consensu, etiam verbo, definitio inter consentientes firma permaneat. Societatem inire possumus aut omnium bonorum aut unius alicuius negotiationis. Et potest ita iniri societas, si tamen hoc inter socios convenit, ut unus pecunia det, alter operam suam pro pecunia ponat...

Ex delicto nascuntur obligationes, si aliquis furtum fecerit, vel bona aliena rapuerit, vel damnum alteri dederit, aut iniuriam fecerit. Quarum omnium rerum uno genere ex delicto nascitur obligatio. Furtorum autem genera sunt quattuor: manifesti, nec manifesti, concepti et oblati. Manifestum furtum dicitur, si quando fur, quum cuiuscunque rem tollit, in ipso furto deprehenditur. Nec manifestum furtum appellatur, quod quamlibet dum fieret, inventum non est, tamen furtum factum fuisse probatur. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem alterum res furata invenitur. Oblatum furtum dicitur, quum res furtiva alicui ita a fure datur, ut apud ipsum furem inveniri non possit. Praeterea si rem alienam, invito aut nesciente domino contingit vel tollit, aut de loco movere praesumit, furtum facit. Et si quis rem utendam acceperit aut commendatam apud se habuerit, et ea aliter usus fuerit, quam acceperit, furti actione tenetur. Praeterea si quis iumentum alterius ad hoc acceperit, ut eum quinque milibus duceret, et id decem milibus, aut longius, quam ab illo, qui dedit, fuerit constitutum, abegerit, furti reus est. Et multa praeterea horum quoque similia sunt secundum legem. Nam furti tenetur etiam, qui ipse furtum non fecerit, sed ut fieret, opem aut consilium aut studium commodarit, velut si quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excusserit, ut alii eam rapere possint.

(Gaius, *Instit. Epitome*, II, 9, 1—3, 12—16; 11, 1—5)

Legile din Moldova

Quae antiquitus Daciae leges fuerint, scire prohibet historicorum iis de rebus silentium: voluntatem tamen principum, naturaeque iura legis scriptae vim et auctoritatem habuisse conicere licet e simili reliquarum gentium barbararum consuetudine. Posteaquam vero ab Ulpio Traiano imperatore victo Decebalo et extirpata Dacorum gente in Romanae provinciae formam redacta, Romanoque semine consita fuit Dacia, Romanas quoque leges a novis recepit colonis. Viguerunt eae in illa provincia, quamdiu ea Romanorum et Constantinopolitanorum imperatorum iussis paruit: at posteaquam barbararum gentium irruptiones eam incolis privaverant, et Constantinopoleos dominos coëgerant deserere provinciam et de suis cogitare parietibus, Romana quoque iura inter Daciae incolas adeo depravari mutarique coeperunt, ut cum felici Dragoszi ausu instaurata fuisset Moldavia, iudices quid pronunciare deberent, vix discernere possent. Commotus his incommodis, Alexander primus, Moldaviae despota, quem insignes propter virtutes Bonum nostri dixerunt, cum regium diadema a Constantinopolitano imperatore acciperet, leges quoque Graecorum suscepit, atque e vastis illis voluminibus, excerptum id, quo nunc Moldavia utitur, ius proposuit. Neque tamen in ea gente aboliri potuerunt diversae, quas in suis erroribus et exsilio susceperant, vicinarum gentium consuetudines, quales in successione, testamentis, hereditatis distributione, fundorum limitibus et servitutibus, cunctae fere per orbem nationes habent singulares. Itaque inde duplex inter Moldavos ius ortum fuit, scriptum unum, quod Romanorum Graecorumque imperatorum edictis et conciliorum decretis niteretur; non scriptum alterum, quod consuetudinem gentis recte diceret, si quidem vernaculo etiam sermone, slavonica voce Obicei, quod morem aut consuetudinem designat, inter Moldavos appellatur. At cum illae consuetudines, quod nulla scriptura niterentur, per corruptos iudices saepius a vero sensu suo detorquerentur, et ad iniustitiam traherentur, Basilius Albanus, Moldaviae princeps, antecedenti saeculo per bonos legumque patriarum peritos viros, cunctos et scriptos et non scriptos canones in unum colligi iussit, et ex iis singularem Codicem confecit, qui iudicibus Moldaviae recte pronunciandi norma est.

(D. Cantemir, *Descriptio Mold.*, II, XI)

Judecata în Moldova

Per totum annum, exceptis diebus, quos ieiunio quod magnum vocant, destinavit ecclesia, princeps ter aut quater in hebdomade publice litigantium causas in divano audit. Divano autem, quo Turcico vocabulo praetorium Moldavi indigitant, in medio aulae principalis locus destinatur. . . Quamprimum princeps in throno consederit, silentium indicitur, et a querula plebe, quae ad portam congregatur, bini vel terni portae per aprodios intromittuntur. Iidem, posteaquam

eorum causae auditaе fuerint, nisi retineri eos in custodia iudicium iubeat, per aliam divani ianuam, quae versus minorem aulam spectat, dimittuntur, succedentibus aliis, donec nemo supersit, qui aliquid conquerendum habeat. Si vero hora meridiei audita fuerit, reliqua plebs, quae fuerit, ad alteram iudicii diem adesse iubetur.

Tam severum autem est id iudicium, ut supremus etiam logotheta, si vel rusticus de ipso conqueratur, quamprimum nominis sui mentionem fieri audit, e loco surgere, et donec causa discussa fuerit, rustico a sinistris stare debeat. Gravioras causas ipse princeps dirimit, leviores baronibus inquirendas committit. Barones, quibus id mandatur, causam domi diiudicant, et quae ipsis visa fuerit, sententiam ferunt. Sin ea contenti fuerint et actor et reus, eandem illa vim retinet, quam habuisset in principis divano pronunciata: sin vero alterutra pars se laesam existimaverit, ad principis tribunal appellare potest. In eo causa denuo excutitur, et si baro largitionibus adversariorum, vel eorum favore ductus, vel etiam legum ignorans, iniquam tulisse sententiam evincatur, severa ille poena coërcetur. Sin autem appellans iuste damnatus principi videatur, ipse et verberibus caeditur, quod iudicium baronis contempserit, et spreto mandati dominici pro libitu principis meritis poenas luit, nec non alterius expensas in duplo rependere cogitur. Causas autem graviores capitalesve, si ipse princeps audire voluerit, utrumque et actorem et reum coram divano comparere iubet, ac utrique eorum, quae in sui defensionem, aut alterius crimen evincendum facere credant, dicendorum libertatem largitur.

Poenarum diversa est ratio. Fures suspenduntur, sacrilegi comburuntur, homicidae nobiles capite plectuntur, rustici palo per costas adacto lentum et gravius supplicium subeunt. Atque ea crimina vix aliquam clementiam dominantium impetrare possunt, nisi concilietur cum occisi propinquis homicida, iique publice coram principe declarent, se culpam poenamque illi remittere, nec postulare amplius, ut sanguis sanguine aut mors morte vindicetur. Id si impetrare quiverit homicida, aliquo modo de clementia principis sperare, certus tamen de sua vita esse non potest. Si enim ex anteacta eius vita principi constet, quod ipsius malitia nulla castigatione tolli possit, aut aliae quaedam rationes subsint, quare illum e medio sublatus velit, respondere solet, actores equidem et occisi propinquos crimen, quod in illius animam commisisset, condonare posse, se autem nolle, ut homicidae malitiosive homines in republica vivant, suoque pure sana illius membra contaminent: eoque nomine facinorosos vel ad supplicium, vel ad salinas damnat. Barones, si aliquid ex aerario publico in privatos usus converterint, aut nefarium aliquid contra principem fuerint moliti, id quod pro inconstanti Moldavorum genio haud raro accidit, inconsultis reliquis baronibus a principe vita bonisque multari possunt.

(D. Cantemir, *Descriptio Mold.*, II, XII)

E. TEXTE MEDICALE

Despre importanța medicinei

Medicina omnium artium praeclarissima est. Verum propter ignorantiam eorum qui eam exercent et ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat et habet, omnium artium longe vilissima censetur. At vero hoc peccatum ob hanc potissimum causam committitur. Soli namque medicinae nulla poena in rebus publicis statuta est, praeterquam ignominiae: verum haec ipsa non afficit neque contingit eos, qui ex composito personam ipsius induerunt. Simillimi enim huiusmodi medici sunt personis, quae in tragicædiis introducuntur. Quemadmodum enim illi figuram quidem et habitum ac personam eorum quos referunt, habent, illi ipsi autem vere non sunt: sic medici fama quidem et nomine multi, re autem et opere valde pauci.

(După Hippocrates, *Lex*, 1)

Jurământul medicului

Iuro per Apollinem Medicum et Aesculapium Hygeamque ac Panaceam deosque omnes itemque deas testes facio! Ego hoc iusiurandum et hanc contestationem conscriptam pro viribus et iudicio meo integre servabo. Praeceptorem sane, qui me edocuit hanc artem, parentum loco habebo, vitam communicabo eaque quibus opus habuerit impertiam; eos item, qui ex eo nati sunt, pro fratribus masculis indicabo, artemque hanc, si discere voluerint, absque mercede et pacto edocebo; praeceptionum ac auditionum reliquaeque totius disciplinae participes faciam, tum meos, tum praeceptoris mei filios, imo et discipulos qui mihi scripto caverint et medico iureiurando addicti fuerint, alii vero praeter hos nulli.

Ceterum, quod ad aegros attinet, dietam ipsis constituam pro facultate et iudicio meo commodam, omneque detrimentum et iniuriam ab eis prohibebo. Neque cuiquam venenum neque etiam ad hanc rem consilium dabo. Porro caste

et sancte vitam et artem meam conservabo. Nec vero calculo laborantes secabo, sed viris chirurgiae operariis locum dabo. In quascumque autem domos ingrediar, ob utilitatem aegrotantium intrabo: ab omni iniqua voluntaria et corruptione abstinebo: sive muliebria, sive virilia, liberorumque hominum aut servorum corpora mihi contigerint curanda.

Quaecumque vero inter curandum videro aut audiero, imo etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum vita cognovero, ea, siquidem efferre non contulerit, tacebo et tamquam arcana apud me continebo. Hoc igitur iusiurandum mihi integre servanti et non confundenti, contingat et vita et arte feliciter frui et apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari. Transgredienti autem et peieranti, his contraria eveniant.

(După Hippocrates, *Iusiurandum*).

Calitățile fizice și psihice ale medicului

Medicus bono colore et bona ac carnosa corporis habitudine praeditus sit, iuxta existentem in ipso naturam. Medici enim — ut vulgus existimat — qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere possunt. Deinde vestitu decore induatur. Postea animum habeat modestum, non solum quod ad taciturnitatem attinet, sed etiam circa reliquam vitam probe compositum. Maxime enim ad opinionem et ad auctoritatem conducunt boni ac honesti mores. Nam, cum talis fuerit, omnibus venerandus ac humanus iudicabitur. Promptitudo enim temeraria et facilitas contemnentur. Scopum autem praefigere oportet facultatum suarum potestatem. Nam eadem ad iisdem non abundantibus boni consuluntur. Figuram faciei habeat meditabundam ac subtristem, non tamen amarulente. Contumax enim videbitur et homines odio habens. Qui vero in risum exsolutus est ac nimium hilaris, onerosus iudicatur. Hoc itaque vitandum est vel maxime. Iustus autem sit ad omnem conversationem. Iustitia enim multum auxiliatur. Non exigua autem commercia aegris cum medico sunt. Nam se ipsos medicis subditos faciunt et omni hora uxoribus, virginibus et opibus maximi pretii illi occurrunt: continenter igitur ad omnia haec se habeant. Animo itaque ac corpore sic medicus dispositus sit.

(După Hippocrates, *De medico*, 1).

Asemănarea dintre medic și filozof

Medicus enim philosophus est deo aequalis; neque enim multa est inter sapientiam et medicinam differentia. Nam omnia quae ad sapientiam requiruntur insunt in medicina: argenti contemptus, reverentia, verecundia, habitus submissus, auctoritas, iudicium, quies, obvia itio, munditia, doctrina, cognitio

ad vitam utilium ac necessariarum purificationum, alienitas a mercimoniis, alienitas a superstitione.

Habent enim quaecumque habent ad cœrendum intemperantiam, inscientiam, avaritiam, concupiscentiam, rapinasque ac impudentiam. Haec enim est cognitio accedentium et usus eorum quae ad amicitiam pertinent et quomodo ad liberos ac quascunque res se gerere oporteat. Quatenus igitur cum hac societatem habet, sapientia quaedam est.

Nam et plurima ex his etiam medicus habet. Non enim est potestas in ipsa redundans. Nam et medici multa quidem aggrediuntur, multa vero etiam per se ipsa ipsis superantur. Quae vero nunc possidet medicina hinc exhibebit. Quae enim via ipsius sit in sapientia hactenus dictum est. Nam et illis ipsis hoc modo se res habet. Quae vero putant et confitentur ac profitentur sic habent. Quae circa corpora adsunt et adveniunt, quae sane per omnem ipsam artem procedunt, dum illa transformantur aut transmutantur. Quae item per chirurgiam sanant. Et quae auxiliis et medelis aut victu curantur. Summa vero horum omnium tendat ad horum cognitionem.

Medicus comitatem quandam sibi adiunctam habeat. Austeritas enim et sanis et aegris difficile accessum praebet! Cum imperitis ne multa fabuletur, sed necessaria.

(După Hippocrates, *De decenti ornatu*, 5—7).

Din «Aforismele» lui Hippocrates

Ubi quidem peracutus est morbus, statim etiam extremos labores habet, et extremo tenuissimo victu uti necesse est. Ubi vero non, sed pleniore victu uti licet, in tantum subdescendendum est, in quantum morbus extremis (morbis) mollior fuerit (I, 7).

Qui crescunt, plurimum habent innatum calorem: plurimo igitur opus habent alimento; sin minus, corpus consumitur. Senibus autem modicus est calor: quapropter paucis fomitibus opus habent, a multis enim extinguuntur. Ob hanc etiam causam febres senibus non similiter acutae fiunt. Frigidum est enim ipsorum corpus (I, 14).

Ventres hieme et vere natura calidissimi sunt et somni longissimi. Quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem ampliorem tunc habent: alimento igitur ampliorem opus habent. Signum sunt aetates et athletae (I, 15).

Victus humidi omnibus febricitantibus conferunt: maxime vero pueris et aliis ita ali adsuets (I, 16).

In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si vero somnus prosit, non letale (II, 1).

Ubi somnus delirium sedat, bonum est (II, 2).

Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum (II, 3).

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturae modum excedat (II, 4).

Lassitudines spontaneae denuntiant morbos (II, 5).

Quae multo tempore attenuantur corpora, lente reficere oportet; quae vero brevi, brevi (II, 7).

Famem vini potus solvit (II, 21).

Mutationes temporum maxime pariunt morbos, et in temporibus magnae mutationes frigoris aut caloris et reliqua iuxta rationem hoc modo (III, 1).

Naturarum aliae quidem ad aestatem, aliae vero ad hiemem bene aut male se habent (III, 2).

In autumnno morbi acutissimi et omnino mortiferi. Verum autem saluberrimum et minime letale (III, 9).

Ex anni vero constitutionibus, in summa siccitates pluviosis salubriores sunt et minus letales (III, 15).

Morbi in pluviosis quidem plerumque fiunt, febres longae et alvi fluxiones et putredines et comitiales et siderationes et anginae. In siccitatibus vero tabes, lippitudines, arthritides, urinae stillicidia et dysenteriae (III, 16).

Secundum tempora, vere quidem et prima aestate pueri et qui his aetate cohaerent optime degunt et maxime sani sunt. Aestate vero et autumnno aliquamdiu senes. Reliquo autumnno et hieme mediam aetatem habentes (III, 18).

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt; quidam tamen magis in quibusdam ipsorum et fiunt, exacerbantur. Vere etenim insaniae et atrae biles et comitiales et sanguinis fluxiones et anginae et gravedines et raucedines et tusses et leprae et impetigines et vitiliginis et pustulae ulcerosae plurimae et tubercula et morbus articularis. Aestate vero et quidam ex his et febres continuae et ardentes et tertianae plurimae et quartanae et vomitus et alvi profluvia et lippitudines et aurium dolores et oris exulcerationes et papulae sudorosa. Autumnno autem et ex aestivis multi, et febres quartanae et erroneae et splenes et hydropes et tabes et urinae stillicidia, et intestinorum levitates et dysenteriae et coxendices et anginae et anhelationes et volvuli et comitiales et insaniae et atrae biles. Hieme vero pleuritides, peripneumoniae, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum, laterum et lumborum, capitis dolores, vertigines, siderationes (III, 19—23).

Tabes maxime fit aetatibus ab anno decimo octavo usque ad trigesimum quintum (V, 9).

Si timor et tristitia multo tempore perseverat, atrabilarium hoc signum est (VI, 23).

Elementele constitutive ale ființelor

Constituuntur tum animantia alia omnia, tum homo ipse ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus vero et commodis usu, igne inquam et aqua. Haec autem ambo simul sufficientia sunt, tum aliis omnibus, tum mutuo

sibi ipsis: utrumvis vero seorsum, neque sibi ipsi, neque ulli alteri sufficiens est. Vim igitur ac facultatem utrumque ipsorum talem habet. Ignis enim omnia per omnia movere potest. Aqua vero omnia per omnia nutrire. Particulatim vero utrumque superat et superatur, ad summum ac minimum, quantum ei fieri potest. Neutrum enim penitus superare potest, ob hanc sane causam. Igni quidem, ubi ad extremitatem aquae pervenerit, deficit alimentum: avertitur igitur eo unde nutriri potest. Aquae vero ubi ad extremitatem ignis pervenit, deficit motus. Sistitur itaque in hac: cum vero steterit, non amplius potens est, sed ab illabente igne in alimentum consumitur et propterea neutrum penitus superare potest. Ignis igitur et aqua, velut a me dictum est, sufficientia sunt omnibus per omnia, ad summum ac minimum similiter.

Ceterum utrique horum haec adsunt: igni quidem caliditas et siccitas, aquae vero frigiditas et humiditas. Habent autem inter se mutuo ignis ab aqua humiditatem: inest enim ab aqua humiditas, aqua vero ab igne siccitatem: inest enim in aqua ab igne siccitas.

(Hippocrates, *De diaeta*, I, 4—5).

Felurile venelor

Venae crassissimae sic se habent. Quattuor paria ipsarum sunt in corpore, et unum quidem a capite retro per cervicem, forinsecus ab utraque spinae parte ad coxendices et in crura progreditur, deinde per tibiae et malleolos forinsecus ad pedes pervenit. Alterum par principium ex capite iuxta aures habet per cervicem et sphagitides appellantur, hoc est iugulares, deferunturque utrimque iuxta spinam intrinsecus ad lumbos, in femora, et per poplites ex interna parte, deinde per tibiae ad malleolos intrinsecus et in pedes.

Tertium par venarum ex temporibus per cervicem sub scapulas tendit et ad pulmonem defertur, altera quidem a dextris ad sinistram partem, altera vero a sinistris ad dextram: et dextra quidem sub mammam abit et in splenem et in renem, sinistra vero in dextram partem tendit a pulmone sub mammam et in hepar et in renem, utraque autem in rectum intestinum ac podicem desinit. Quartum par a priore capitis parte et oculis sub cervicem ad claviculas devenit, deinde super brachia superne in flexuras, postea per cubitos in manuum iuncturas ac digitos: deinde a digitis rursus per cubitos ac manus superne in flexuras et per brachiorum internam partem ad alas; unde superne a lateribus altera in lienem pervenit, altera in iecur, postea supra ventrem utraque desinit.

Sunt autem et ex ventriculo venae per corpus multae et omnigenae, per quas corpori alimentum accedit; ferunt autem a crassis venis in ventriculum ac reliquum corpus et ab externis et ab internis et inter se mutuo distribuunt, internae extrinsecis ac vicissim extrinsecae internis.

(Hippocrates, *De natura humana*, 220—22)

Structura corporis omenesc

Mundus quattuor ex elementis consistit: igne, aere, terra et aqua, calido videlicet, humido, frigido et sicco. Iisdem ex elementis quattuor totidemque humoribus et homo consistit: sanguine scilicet, pituita, flava et atra bile. Et sanguis quidem aeri, pituita aquae, flava autem bilis igni, atra vero terrae similatur. Sanguis enim gustu dulcis est, pituita — salsa, flava bilis — amara, atra vero — acetosa et flavescens. Sanguinis autem locus et spiritus in corde est. A dextris quidem eius sanguis, a sinistris vero spiritus consistit. Flavae bilis in iecinore, atrae in liene, pituitae quidem in cerebro locus. Sanguis autem calidus et humidus, pituita frigida et humida, flava bilis calida et sicca, atra vero sicca et frigida.

Arteriae quidem a corde purum sanguinem et spiritum recipiunt. Venae autem et ipsae a corde sanguinem sumunt, per quas corpori distribuitur. Sed iecur cordi sanguinem non praeter veri fidem affatim suppeditat. Nam ignis absque materia permanere neutiquam potest. Quo fit ut nonnulli hominum semper quasi rideant, quidam vero tristentur; huius rei ex elementis causa est. Qui enim puri sanguinis non inexpertes sunt, hi usquequaque ridet et aspectu ac corpore floridi, necnon perspicui coloris exsistunt. Qui vero flavae bilis participes sunt, desides, pusillanimes, pavidi, imbecillesque esse solent. Pituitosi vero inertes et frigidi sunt.

(Hippocrates, *De structura hominis*, 1—2).

Funcțiunile ficatului

Iecur ipsum alimentum triplici digestionem in sucum redigit. Ex prima digestionem cor alimenti qualitatem, saporem videlicet, suscipit et puri sanguinis procreatio fit. Secundam digestionem iecur desumit et corporis partibus alimentum largitur: unde flavae bilis constitutio fit; lien vero ex sanguinis fece alitur: unde et melancholicum humorem constituitur. Cerebrum autem a stomacho humectatur et pituitae exuberantiam peragit. Tertia digestionem alimentum superne in stomacho in sucum vertitur et tunc reseratur ianitor qui ventriculus nuncupatur, quoniam transitus tantum facultatem subministrat. Inde alimentum in inferiorem ventrem demittitur. Alvus vero a pituita ciborum acerbis gratia oblectamentum sentit. Humidum autem excrementum per renes ac seiunctos ipsius excrementi meatus in vesicam descendit; in vesicam enim aqua ingreditur.

(Hippocrates, *De structura hominis*, 5).

Inima

Cor figura velut pyramis est, colore autem abunde puniceum et tunicam levem circumdatam habet, et est in ipsa humor modicus. Facta est autem ea gratia, ut sanum in custodia florescat. Habet autem humiditatem tantam, quanta

satis est aestuanti in medelam. Ceterum hunc humorem cor emingit, bibendo ipsum assumens ac consumens, pulmonis nimirum potum lambens.

Cordi musculus est valde fortis non nervo, sed densitate ac constrictione carnis et duos ventriculos habet discretos in uno amiculo, ab utraque parte unum. Nihil enim inter se similes sunt. Alter enim in dextris ad osculum situs est, contingens alteram venam. Alter in sinistris. Totum enim cor in his sedem suam firmavit. Sed ille etiam omnino amplioris ventris et magis inanis quam alter est: neque extremitatem cordis attingit, sed caudam eius ambit; solidus item est, veluti extrinsecus assutus. Alter autem subter sinistram mammam maxime in directum situs est, ubi etiam saltus ipsius significationem sui praebebat. Amiculum autem habet crassum itemque foveam. Foveae enim speciem prae se fert similem mortario. Sed enim hic etiam pulmonem subit cum mansuetudine et circumiectu ipsius caloris intemperantiam castigat.

(Hippocrates, *De corde*, 1, 4).

Oasele

Ossium natura haec est. Digitorum quidem ossa ac articuli simplicia sunt; manus autem et pedis multa alia, alio modo coarticulata: maxima vero suprema parte. Calcanei vero unum, velut extra apparet. Ad ipsum autem posteriores tendines tendunt. Tibiae vero duo sunt, quae superne et inferne cohaerent: iuxta medium vero distant. Parvum est quod extrinsecus est, iuxta parvum digitum paulo tenuius. Plurimum autem hac parte distant et minore momento iuxta genu; et tendo ex ipso enascitur, qui circa poplitem foris est. Habent autem inferne communem appendicem, in qua femoris articulus movetur simpliciter et expedite in longitudinem, specie nodosa, patellam habens.

Ipsium autem femur foras et in anteriore parte incurvum est. Caput autem eius appendix est rotunda, ex qua nervus, qui in coxae acetabulo est, nascitur. Subobliquus autem etiam hic annexus est, minus vero quam brachium. Coxa vero magno verticulo, quod iuxta os sacrum est, ex ligamento cartilagineo ac nervoso adhaeret. Spina vero a sacro osse usque ad magnum verticulum gibbosa est; inde vero usque quo ad saeptum transversum pervenit in directum repanda est. Hinc vero usque ad magnum verticulum, quod supra supernas humeri partes est, e directo gibbosa est: immo magis esse videtur quam est. Nam posteriores ossium propagines hac parte altissimae sunt. Cervicis autem articulus repandus est.

Verticula vero intrinsecus inter se aequalia sunt: ab externis autem cartilaginibus ac nervis continentur. Coarticulatio vero ipsorum in posteriore medullae spinalis parte est. A posteriore autem parte exortum acutum habent, qui appendicem habet cartilagosam, unde nervorum propago prona fertur: quemadmodum etiam muscoli a cervice ad lumbos adnascuntur, costarum ac spinae

medium explentes. Costae vero iuxta discriminationes verticulorum nervo annexae sunt, a cervice usque ad lumbos intrinsecus. Ab anteriore autem parte, iuxta pectus, laxam ac mollem summam partem habentes, specie prae cunctis animalibus maxime obtorta. Hac enim parte angustissimam molem homo habet. Qua vero parte costae non sunt, exortus obliquus, brevis et latus, ad singula verticula nervo annexus est. At vero pectus cohaerens ipsum sibi ipsi discriminationes habet obliquas, qua parte costae annexae sunt, laxum autem est et cartilagineum; claviculae vero rotundae sunt ad anteriorem partem, ad pectus quidem breves motus habentes, ad summum vero humerum frequentiores.

Summus autem humerus ex scapulis nascitur, in plerisque dissimiliter. Scapula ad spinam cartilaginea est, reliqua parte laxa, inaequalem partem foras habens; cervicem vero et acetabulum habet cartilagineum, ex quo costae motum habent. Facile autem, ut inter ossa, exsolvitur, brachio excepto. Huius autem caput ex nervo et acetabulo dependet, cartilaginis laxae rotundam appendicem habens. Ipsum autem brachium incurvum foras et anteriore parte obliquum, non rectum est ad acetabulum. Pars vero ad cubiti gibbum lata est et nodosa et repagulo similis et solida, posteriore parte cava. Ad hanc etiam torpidus nervus, qui ex cubiti ossium discriminatione media enascitur, perficitur et terminatur.

Ossa manus viginti septem sunt, pedis viginti quattuor. Colli, usque ad magnum verticulum, septem. Spinae, viginti; capitis, una cum oculorum ossibus octo. In universum nonaginta unum; cum unguibus vero, centum ac undecim. Ceterum, ut nos ipsi ex hominis ossibus didicimus, verticula supra claviculam una cum magno, septem sunt. Iuxta costas autem tot quot costae sunt, duodecim videlicet. Iuxta laterum mollitudinem vero forinsecus ubi coxendices, in lumbo quinque.

(Hippocrates, *De ossium natura*, 1—5).

Cele mai bune și cele mai rele ape

Optimae aquae sunt quae ex sublimibus locis ac terreis collibus fluunt. Hae enim et dulces sunt et albae et vinum modicum ferre possunt et hieme calidae fiunt, aestate vero frigidae. Tales enim fuerint ex profundissimis fontibus. Maxime vero laudare eas oportet, quarum fluxiones ad solis exortus erumpunt et praesertim ad aestivos. Necesse est enim odoratas esse ac leves. Quaecunque vero salsae et crudae ac durae sunt, ad hoc quidem ut eas omnes bibant, non bonae sunt. Sunt tamen aliquae naturae et morbi, quibus tales aquae in potu commodae sunt. Quae quidem fontes suos ad orientes habent, hae prae omnibus optimae sunt. Secundum ab his locum habent quae inter aestivos solis exortus ac occasus emergunt et magis hae quae ad orientes. Tertio loco sunt quae inter occasus aestivos ac hibernos scaturiunt.

Pessimae vero quae ad austrum et quae inter aestivum ortum et occasum. Et hae quidem ad australes partes valde pravae sunt, ad boreales vero meliores. His autem hoc modo uti convenit. Quisquis sanus est et valet, is nullum discrimen faciat, sed semper eam quae praesens est bibat. Quicumque vero morbi gratia eam quae commodissima est bibere volet, is si ita fecerit, maxime sanitatem assequi poterit. Quorum quidem ventres duri sunt et idonei ad hoc ut ambulantur, his dulcissimae et levissimae ac splendidissimae conducunt. Quorum vero molles ventres et humidi ac pituitosi sunt, his durissimae et crudissimae ac subsalsae aquae conferunt. Sic enim maxime resiccati poterunt.

(Hippocrates, *De aeribus, aquis, locis*, 14—15).

Inceputurile medicinii

Ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicina promittit. Haec nusquam quidem non est, siquidem etiam inperitissimae gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Verum tamen apud Graecos aliquanto magis quam in ceteris nationibus exulta est, ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos saeculis. Utpote cum vetustissimus auctor Aesculapius celebretur, qui quoniam adhuc rudem et vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in deorum numerum receptus est. Huius deinde duo filii Podalirius et Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem secuti non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt; quos tamen Homerus non in pestilentia neque in variis generibus morborum aliquid adtulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi solitos esse proposuit. Ex quo apparet has partes medicinae solas ab iis esse temptatas, easque esse vetustissimas. Eodem vero auctore disci potest morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, et ab iisdem opem posci solitam verique simile est inter nulla auxilia adversae valetudinis, plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria vitiant; siquidem haec duo corpora prius in Graecia, deinde apud nos affligerunt ideoque multiplex ista medicina, neque olim neque apud alias gentes necessaria, vix aliquos ex nobis ad senectutis principia perducit.

Ergo etiam post eos, de quibus retuli, nulli clari viri medicinam exercuerunt, donec maiore studio litterarum disciplina agitari coepit; quae ut animo praecipue omnium necessaria, sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit; scilicet iis hanc maxime requirentibus, qui corporum suorum robora quieti cogitatione nocturnaue vigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiae professoribus peritos eius fuisse accipimus, clarissimos vero ex iis Pythagoram et Empedoclem et Democritum. Huius autem, ut quidam

crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus ex omnibus memoria dignus, a studio sapientiae disciplinam hanc separavit, vir et arte et facundia insignis. Post quem Diocles Carystius, deinde Praxagoras et Chrysippus, tum Herophilus et Erasistratus sic artem hanc exercuerunt, ut etiam in diversas curandi vias processerint.

(Celsus, *Medicina*, Prohæm., 1—8)

Felul de trai al unui om sănătos

Sanus homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico neque iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere; siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adulescentiam reddit.

Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modo ungui, modo id ipsum neglegere; nullum genus cibi fugere quo populus utatur; interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere; modo plus iusto, modo non amplius assumere; bis die potius quam semel cibum capere et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Sed ut huius generis exercitationes cibique necessariae sunt, sic athletici supervacui: nam et intermissus propter civiles aliquas necessitates ordo exercitationis corpus affligit, et ea corpora, quae more eorum repleta sunt, celerrime et senescunt et aegrotant.

(Celsus, *Medicina*, I, 1, 1—3).

Felul de trai al celor slabi de constituție

At imbecillis, quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene cupidi litterarum sunt, observatio maior necessaria est, ut, quod vel corporis vel loci vel studii ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur qui bene concoxit, mane tuto surget; qui parum, quiescere debet, et si mane surgendi necessitas fuit, redormire.

Habitare vero aedificio lucido, perflatum aestivum, hibernum solem habente; cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus, itemque auras fluminum atque stagnorum.

Ubi experrectus est aliquis, paulum intermittere; deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet; longis diebus meridiari potius ante cibum; si minus, post eum. Per hiemem potissimum totis noctibus conquiescere; sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem. Quem interdiu vel domestica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Prima autem eius curatio exercitatio est, quae semper

antecedere cibum debet, in eo, qui minus laboravit et bene concoxit, amplior; in eo, qui fatigatus est et minus concoxit, remissior.

Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio, atque haec non utique plana commodior est, siquidem melius ascensus quoque et descensus cum quadam varietate corpus moveat, nisi tamen id perquam imbecillum est: melior autem est sub divo quam in porticu; melior, si caput patitur, in sole quam in umbra, melior in umbra quam paries aut viridia efficiunt, quam quae tecto subest; melior recta quam flexuosa. Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit, idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Ac ne his quidem athletarum exemplo vel certa esse lex vel immodicus labor debet. Exercitationem recte sequitur modo unctio, vel in sole vel ad ignem; modo balineum, sed conclavi quam maxime et alto et lucido et spatioso. Ex his vero neutrum semper fieri oportet, sed saepius alterutrum pro corporis natura. Post haec paulum conquiescere opus est.

Ubi ad cibum ventum est, numquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abstinencia: si qua intemperantia subest, tutior est in potione quam in esca. Cibus a salsamentis, holeribus similibusque rebus melius incipit; tum caro assumenda est, quae assa optima aut elixa est.

(Celsus, *Medicina*, I, 2, 1—8)

Chirurgia. Calitățile chirurgului

Tertiam esse medicinae partem, quae manu curet, et vulgo notum et a me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum praestat, estque eius effectus inter omnes medicinae partes evidentissimus. Siquidem in morbis, cum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria, saepe vana sint, potest dubitari, secunda valetudo medicinae an corporis an beneficio contigerit. In iis quoque, in quibus medicamentis maxime nitimur, quamvis profectus evidentior est, tamen sanitatem et per haec frustra quaeri et sine his reddi saepe manifestum est: sicut in oculis quoque deprehendi potest, qui a medicis diu vexati sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quae manu curat, evidens omnem profectum, ut aliquid ab aliis adiuvetur, hinc tamen plurimum trahere. Haec autem pars cum sit vetustissima, magis tamen ab illo parente omnis medicinae Hippocrate quam a prioribus exulta est. Deinde posteaquam diducta ab aliis habere professores suos coepit, multi alii celebres viri singuli quaedam reperierunt.

Esse autem chirurgus debet adulescens aut certe adulescentiae propior; manu strenua, stabili, nec umquam intremescente, eaque non minus sinistra quam dextra promptus; acie oculorum acri claraque; animo intrepidus; mise-

ricors sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus vel magis quam res desiderat properet, vel minus quam necesse est secet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.

(Celsus, *Medicina*, VII, prohoem., 1—4)

Ochiul

Oculus summas habet duas tunicas, ex quibus superior a Graecis ceratoides vocatur. Ea, qua parte alba est, satis crassa; pupillae loco extenuatur. Huic inferior adiuncta est, media parte, qua pupilla est, modico foramine concava; circa tenuis, ulterioribus partibus ipsa quoque plenior, quae choroides a Graecis nominatur. Hae duae tunicae, cum interiora oculi cingant, rursus sub his coeunt, extenuataeque et in unum coactae per foramen, quod inter ossa est, ad membranam cerebri perveniunt eique inhaerescunt. Sub his autem, qua parte pupilla est, locus vacuus est; deinde infra rursus tenuissima tunica, quam Herophilus arachnoidem nominavit. Ea media subsidit eoque cavo continet quiddam, quod a vitri similitudine hyaloides Graeci vocant. Id neque liquidum neque aridum est, sed quasi concretus humor, ex cuius colore pupillae color vel niger est vel caesius, cum summa tunica tota alba sit: id autem superveniens ab interiore parte membranula includit. Super his gutta humoris est, ovi albo similis, a qua videndi facultas proficiscitur: orystalloides a Graecis nominatur.

(Celsus, *Medicina*, VII, 7, 13)

Felurile bolilor

Morbos in duas species Graeci diviserunt, aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt. Idemque quoniam non semper eodem modo respondebant, eosdem alii inter acutos, alii inter longos rettulerunt; ex quo plura eorum genera esse manifestum est. Quidam enim breves utique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur; quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo neque exitium est; tertiumque genus eorum est, qui modo acuti, modo longi sunt, idque non in febribus tantummodo, in quibus frequentissimum est, sed in aliis quoque fit. Atque etiam praeter hos quartum est, quod neque acutum dici potest, quia non peremit, neque utique longum, quia, si occurritur, facile sanatur. Ego cum de singulis dicam, cuius quisque generis sit indicabo. Dividam autem omnes in eos, qui in totis corporibus consistere videntur, et eos, qui oriuntur in partibus. Incipiam a prioribus, pauca de omnibus praefatus.

In nullo quidem morbo minus fortuna sibi vindicare quam ars potest: ut pote cum repugnante natura nihil medicina proficiat. Magis tamen ignoscendum medico est parum proficienti in acutis morbis quam in longis: hic

enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, aeger exstinguitur: ibi et deliberationi et mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens aeger sine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cum penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est. Et acutus quidem quo vetustior est, longus autem quo recentior, eo facilius curatur.

Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia summi auctores quasi sola vindicarint, prout cuique cesserat. Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare auctorem quanti aegrum, et experiri aliud atque aliud, sic tamen ut in acutis morbis cito mutetur quod nihil prodest, in longis, quos tempus ut facit sic etiam solvit, non statim condemnatur, si quid non statim profuit, minus vero removeatur, si quid paulum saltem iuvat, quia profectus tempore expletur.

(Celsus, *Medicina*, III, 1)

Pleurezia

Stomachus lateribus cingitur, atque in his quoque vehementes dolores esse consuerunt. Et initium vel ex frigore vel ex ictu vel ex nimio cursu vel ex morbo est. Sed interdum omne malum intra dolorem est isque modo tarde, modo celeriter solvitur: interdum ad perniciem quoque procedit oriturque acutus morbus, qui pleuriticus a Graecis nominatur. Huic dolori lateris febris et tussis accedit; et per hanc exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quae nihil emolitur, idque primo vitio gravius, secundo tolerabilius est. — Remedium vero est magni et recentis doloris sanguis missus: at sive levior sive vetustior casus est, vel supervacuum vel serum id auxili est; confugiendumque ad cucurbitas est, ante summa cute incisa. Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet, et tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Praeter haec circumdare primum oportet latus abso lanae sulphuratae; deinde, cum paululum inflammatio se remisit, siccis et calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est. Si vetustior dolor remanet, novissime resina imposita discutitur. Utendum cibus potionibusque calidis, vitandum frigus.

(Celsus, *Medicina*, IV, 13, 1—3)

Ftizia

Tertia est longeque periculosissima species, quam Graeci phthisin nominant. Oritur fere a capite, inde in pulmonem destillat; huic exulceratio accedit; ex hac febricula levis fit, quae etiam cum quievit, tamen repetit; frequens tussis

est, pus exscreatur, interdum cruentum aliquid. Quicquid exscreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est. Itaque qui de morbo dubitant, hac nota utuntur.

Si mali plus est et vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est: neque enim facile is morbus, cum inveteravit, evincitur. Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, caeli mutatione, sic ut densius quam id est, ex quo discedit aeger, petatur: ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur. Fereque id posse inter principia corpus pati debet, cum hic morbus aetate firmissima maxime oriatur, id est ab anno XIIX ad annum XXXV. Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodissimum est. Si navigationem aliqua res prohibet, lectica vel alio modo corpus movendum est; tum a negotiis abstinendum est omnibusque rebus, quae sollicitare animum possunt; somno indulgendum; cavendae destillationes, ne, si quid cura levarit, exasperent; et devitanda cruditas, simulque et sol et frigus; os obtegendum; fauces velandae; tussicula suis remediis finienda; et quamdiu quidem febricula incursat, huic interdum abstinencia, interdum etiam tempestivis cibis medendum; eoque tempore bibenda aqua. Lac quoque, in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis recte dari potest. Quod si febris aut nondum incursat, aut iam remisit, decurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes, item lenes frictiones. Balineum alienum est. Cibus esse debet primo acer, ut alium, porrum, idque ipsum ex aceto, vel ex eodem intubus, ocimum, lactuca, dein lenis, ut sorbitio ex tisana vel ex halica vel ex amulo, lacte adiecto. Idem oriza quoque et, si nihil aliud est, far praestat. Tum in vicem modo his cibus, modo illis utendum est; adiciendaque quaedam ex media materia, praecipueque vel ex pruna cerebellum vel pisciculus et his similia. Farina etiam cum sebo ovillo caprinove mixta, deinde incocta pro medicamento est. Vinum adsumi debet leve, austerum.

(Celsus, *Medicina*, III, 22, 3, 8—11).

Apele minerale din Moldova

Moldavia numero aquarum mineralium haud cedit Transsilvaniae, cum tamen pleraeque montibus scaturiant praealtis, vel silvis recondantur densissimis, perparum noscuntur, eo minus quod incolae Moldaviae his prorsus non delectentur. Notae analysim desiderant chemicam et omni destituuntur ad excipiendos hospites institutione. Vehuntur non raro aquae minerales pluribus a fonte horis, calefiunt adminiculo ignis, sine omni cautela, balneatur frequentissime in casa virgis saepta (coliba), vento undique pervia, negliguntur quoad balneorum numerum, temperaturam omnia artis consilia, et tamen non raro salutaris evincitur aquarum efficacia in scabie, herpete, scrophulis, rheumate et arthritide chronicis, emphraxibus, fluore albo, amenorrhea, etc.

Ad Borca in silvis aquae sunt minerales eminentissimae virtutis, quarum principia activa haud noscuntur. Strunga, haud procul a civitate Iassensi, fontes habet medicatos frigidos, sulphur et ferrum tenentes. Slanic, in montibus Carpatidis, prope Ocna, plures habet fontes soterios, sulphur ut videtur et ferrum tenentes, quos Dr. Zotta, emeritus protomedicus Moldaviae, analysi subiecit chemicae ante aliquot annos.

(Dr. Const. Virnav,
Rudimentum physiographiae Moldaviae, 1836).

Bolile sporadice din Moldova

Praecipuis morbis sporadicis Moldaviae adnumerari debent: Apoplexiae. — Hydropes, frequentissime ex emphraxibus organorum abdominalium ortum ducentes, qui cum a plebe passim negliguntur, passim et morte terminantur. — Arthritis, cuius eadem e causa tristissimus saepe eventus; arthritis tamen podagrica rarissima. — Colicae, ob copiosum olei usum haud frequentes sunt. — Scabies frequentior, a plebe pessime tractatur. — Stomacace (Studinitza) contagione propagari videtur. — Scorbutus rarissime conspicitur. — Syphilis ruri rarior, in oppidis et civitatibus non infrequens, venere vulgivaga et nutricibus, quibus crudeles matres suos committunt infantes, propagatur; blenorhoeae chronicum saepissime habent decursum, pertinacissime efficacissimis etiam remediis artis resistentes. Morbi mentis haud frequentes sunt, rarior melancholia, frequentior monomania religiosa et mania furiosa. Miserrimi hi mortalium in defectu morocomii passim feruntur in monasterium Niamz, hic, ubi medicus omnisque desideratur persona rerum medicarum vel modice ignara, orationibus, incantationibus, imprecationibus, ieiuniis et similibus tractantur. Eodem modo tractantur hic etiam epileptici, chorea St. Viti aut convulsionibus laborantes, qui passim pro diabolo obsessis habentur. — Struma in Carpato hinc inde occurrit, nequaquam tamen ea, qua in vicina Transsilvania frequentia; cretinismus vix invenitur. — Gibbositas aliaeque deformitates vix noscuntur. — Oculis rarius laborat Moldavus, gravius adfecti, ob ophthalmiatri experti defectum, hucdum excaecati sunt vix non omnes. Morbi aurium sunt rari, rariores ii dentium. — Hydrophobia est rarissima, tametsi greges canum sibi relictorum omnem pervagantur Moldaviam.

(Dr. Const. Virnav,
Rudimentum physiographiae Moldaviae, 1836)

Textul Diplomei de doctor de onoare acordată de Universitatea din Cluj profesorului Dr. G. Marinescu (1933)

Est hoc in more academico positum institutoque maiorum, ut ii, qui litterarum, artium scientiarumque studiis aut eximia in rempublicam diligentia ad augendum generis humani communem eruditionis thesaurum plurimum valu-

erunt, doctores honoris causa creentur. Quare, cum ornatissimus ac illustrissimus vir GEORGIUS MARINESCU, in Universitate Bucharestiana Facultatis Scientiarum Medicarum professor, sese ad virtutem colendam pariter atque ad verum investigandum contulisset egregiamque laudem consecutus gratiam populi Daco-Romani meritis esset, Nos clarissimum ac doctissimum virum GEORGIUM MARINESCU, in Universitate Bucharestiana Facultatis Scientiarum Medicarum professorem, doctorem honoris causa creavimus, pronuntiavimus, declaravimus. Propterea diploma maiore Universitatis sigillo munitum requisitisque subscriptionibus firmatum ei dari curavimus. Datum Napocae, die XXX mensis octobris, anno MCMXXXIII.

Aqua destillata simplex

Rp. *Aquae communis*

q. v.

Destilla lege artis. — Destillatum primum quamdiu plumbo acetico turbatur, reiciendum, dein abstrahantur totius aquae adhibitae duae tertiae.

Aquae grammata viginti post evaporationem nullum derelinquant residuum. — Solutionibus argenti nitrici, baryi chlorati, ammonii oxalici, et aqua hydrosulfurata tentata, nec praecipitatum edat, nec turbida evadat.

(*Pharmacopoea*, p. 57)

Aqua Rosarum

Rp. *Olei Rosarum* decigramma unum 0,1

Aquae destillatae tepidae grammata ducenta 200

In lagena ampliori saepissime conquassando stent loco tepido per diem; dum additis

Aquae destillatae grammatibus ducentis 200

Misce et filtra.

(*Pharmacopoea*, p. 63)

Citrus

Arbor in India orientali indigena, in Europa meridionali culta.

Cortex fructus Citri (Cortex Citri), e fructibus maturis detractus et siccatus e strato exteriori punctato, rugoso, vesiculis oleo aethereo fetis scatente, luteo-citrino, aromatico, subamaro et ex interiore spongioso, albo, tenui constans. Ulteriore orbatus, sistit *Flavedinem Corticis Citri*. Odor grate aromaticus, sapor subamarus.

(*Pharmacopoea*, p. 129)

Morphinum

Morphium. Morphina. Morphia

Crystalli prismaticae, decolores, nitentes, saporis amari. Solvuntur in aquae fervidae partibus 500, in spiritus vini 90 % partibus 90. Chloroformium nonnisi per exiguam quantitatem harum solvit, in aethere et in glycerino fere insolubiles sunt.

